


191291
d. 40





MONOGRAPHIA
GENERIS CAPSICI

Auctore

A. Fingerhuth,

Med. Doctore.

Cum tabulis X coloratis.

Düsseldorpii,
sumptibus Arnz & Comp.
MDCCCXXXII.

ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.

Matth. VII. 16.

VIRIS CLARISSIMIS
INDEFESSIS RERUM NATURALIUM
SCRUTATORIBUS

C. G. NEES AB ESENBECK

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, ORDINIS REGII BORUSSICI AQUILAE RUBRAE EQUITI, ACAD. CAESAR. LEOPOLD. CAROL. N. C. PRAESIDI, BOTANICES IN UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI PROFESSORI P. O. ETC. ETC.

NEC NON

TH. FR. L. NEES AB ESENBECK

PHILOSOPHIAE MEDICINAE ET PHARMACIAE DOCTORI, PHARMACIAE ATQE REI HERBARIAE IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICIA GUILELMIA BONNENSI PROFESSORI P. O. ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

HANC COMMENTATIONEM SUAM

D. D. D.
AUCTOR.

I.

Capsici genus, Solanearum familiae adnumeratum, in ordine naturali inter Solanum genus atque Witheringiam (Herit.) locum habens, ad illa genera pertinet, quorum una alterave specie cognita, jam reliquae omnes, etiam in statu non fructifero, facile cognosci possunt. Clare ex hisce elucet, characteres certiores, e quibus discrimina singularum hujus generis specierum sequantur, difficilius esse statuendos, quam in aliis Solanearum familiae generibus, atque eo magis, quo plures, et fere innumerae varietates, soli influxu culturaque mutabiles, in hortis aluntur. Hoc autem non intelligendum est de paucis illis speciebus a Linneo, postea a Willdenowio in Speciebus Plantarum atque in aliis operibus systematicis enumeratis, sed de iis praesertim, quae olim a fratre Gregorio, deinde a Besslero, Millero aliisque accumulatae, postea vero plane neglectae et a nemine ulterius exploratae, nunc chaos praebent, e quo non nisi cum summo labore certi aliquid extricare possumus. Quibus si adnumeramus adhuc species recentioribus temporibus a Meyero, Candollio, Alexandro ab Humboldt et Bomplandio descriptas et denique magnam copiam illarum, quae in hortis cultae diversis nominibus appellantur, unusquisque certo, qui rem animo opinione non praeoccupato consideraverit, genus Capsicum, quod ad species rite determinandas attinet, inter dificillima censenda esse concedet. Itaque monographicam hujus generis decriptionem haud superfluam operam et eam forte plerisque acceptam futuram arbitrabar. Quam ob rem, cum per plures jam abhinc annos otium meum in harum vegetabilium studium impendissem atque data occasione plurimas Capsicorum species vivas observassem, monographiam hujus generis elaborare statui. De iis, quae a priorum auctorum descriptionibus discrepant, ille, qui rem novit, aequum judicium feret, cum semper observationibus fulciantur. Nullo modo repetere ac compilare, quae ab aliis jam in medium prolata sunt, volui, cum ipsam naturam observare et quae deprehendi, sincere describere, mecum statuerim. Si non omnia tam ample et distincte exposui, uti lubenter fecissem, aequi rerum arbitri condonabunt, moniti, me plura de propagatione, anatomia ac physiologia harum vegetabilium a me observata, quoniam absque iconum apparatu vix ac ne vix quidem illustrari potuissent, omittere debuisse, quae quidem post haec forte, nisi, quae hodie attuli, viris doctis displiceant, publici juris faciam.

Ne justos limites commentationi praescriptos excedam antiquiori harum plantarum historia praetermissa, in sequentibus pagellis, tanquam loco praefationis, usum illarum diaeteticum atque medicum exponam.

II.

De chemica indole et usu medico.

Totus fructus, praecipue autem sarcocarpium cum contextu interno celluloso-vesiculoso, tum etiam placenta et semina sapore sunt acri urente et longum tempus in ore perdurante. Recentes odorem nauseosum et sopientem quasi edunt; in statu sicco fere omni odore carentes, neque aquae sub illis destillatae saporem neque odorem impertiunt. Inter comburendum

vapores, inde eliciti vehementem sternutationem ac tussin cum secretione mucis tenaci adaucta, nauseam et vomituritionem excitant. In cute ruborem inflammatorium cum parvis pustulis, et si longius adhibentur vesicas quoque atque exulcerationes provocant.

Analysis chemica, a Bucholzio instituta, haec docuit:

Capsicini (resinae balsamicae acris)	4,0
Materiae extractivae purae saporis amari, calefacientis et parum aromatici	8,6
Materiae extractivae cum gummi	21,0
Gummi	9,2
Cerae (?)	7,6
Substantiae peculiaris albumini similis	3,2
Parenchymatis	28,0
Aquae	12,0
	93,6
Partes per-analysin perditae	6,4
	100.

Capsicinum, efficacissima haec Capsici pars, a Bucholzio primo inventa, (alcaloides forsan cum resina conjunctum,) colore gaudet inter flavum et rubrum medio, in temperatura solita balsamo simile, aucto calore magis liquidum est; saporis autem primum aliquantulum aromatico-balsamici, paulo post, in minimo quoque dosi, vehementer diuque urentis. Igni fortiori expositum vaporem densum griseo-albidum, laryngis gravem irritationem tussinque ac sternutationem etc. provocantem, spargit, qui si diutius cum spiritu simul trahitur, inflammationem membranae Schneiderianae, oppressionem pectoris et dolores pungentes importare potest. Uti omnis materia resinosa ab aqua non solvitur vel saltem minimo pondere, pauxillum eius aceto excipitur, facile autem in spiritu vini, aethere, oleo terebinthinae aliisque oleis aethereis atque liquore Kali caustici diffluit.

Braconnotii analysis fructuum Capsici chemica, a priore illa Bucholzii paululum diversa, sequentes exhibuit partes peculiares:

Materiae cerae similis cum materia tinctoria resinosa rubra, quae sapore est minus urente quam resina acris	0,9
Olei acris (Weichharz?)	1,9
Gummi	6,0
Materiae fusco-rubrae amylo similis, non in aqua bulliente sed in liquore kali solubilis, e quo acidis adfusis flocculorum fuscorum specie praecipitatur	9,0
Materiae animali-vegetabilis	5,0
Kali citrici	6,0
Kali phosphorici ac muriatici (et quod perdebatur.)	3,4
Materiae insolubilis restantis	67,8
	100.

Apparet itaque e praecedentibus, Capsicum vi sua pharmacodynamica pertinere ad aromata acria, et tam parva quam magna dosi, propter principium acre resinosum, omnino agere uti acria illa, quae praecipue superficiem (systema cutaneum) afficiunt. In tractu intestinali nitaque magam provocat irritationem, nervos abdominales valde excitantem, quae, uti Vogtius recte admonet, irritamento illi similis est, quod semen sinapios in ventriculo tractuque intestinorum excitat. Majorem dosin vomitus, alvus laxa, cum doloribus pungentibus intestinorum, maximam dosin inflammatio ventriculi atque omnia symptomata, quae venena acria

producere solent, sequuntur. Vires narcoticas, etiam in maxima dosi, uti experimenta iterum iterumque instituta me docuerunt, non exercet.

Licet sapor hujus fructus valde acris sit, et integumenta Linguae et cavi oris cujuslibet, huic condimento non assuefacti, solvat, tamen in America meridionali inque Indiis etc. saepissime pro condimento praesertim carnis adhibetur.

Tali modo Indiae orientalis incolae Achiar sive Atsiaar (vox Malayca) conditoram variorum vegetabilium cum aceto et Capsico (Tchili ibi vocato) aliisque aromatibus acerrimis parant, cui secundum aromatum, quibus utuntur, differentiam, varia nomina impertiunt; ita quoque Americani Kari Kari, condimentum e carne et capsico parant. Capsicum cum sale tritum, Brasiliani secundum Hernandez et frat. Gregorium, ad cibos inter manducandum, ut nos salem, adhibent, e. s. p. Optimum condimentum cujuslibet cibi dicit Gregorius, hocce Capsicum est, „valenter enim ventriculi et intestinorum flatus discutit, orexin excitat, cibis praesertim humidis et flatuosis inspersum bonum saporem conciliat, coctionem juvat, urinam et menses evocat etc.“; et revera in regionibus hisce calidis irritabilitas tam facile calori succumbens, talibus incitamentis fortioribus magis indigere videtur, quam in mediis coeli plagis.

A medicis ad exemplum medicorum indicorum recentioribus temporibus praecipue adhibetur in magno anaesthesis, paralysis et atoniae partium cavi oris gradu, et ad excitandam oesophagi et ventriculi irritabilitatem vimque nervorum suppressam. In usum itaque vocatur, in laxitate atque paralysi musculorum oris, pharyngis et oesophagi, in angina atonica senium, inque angina putrida maligna partim interne partim et praecipue in gargarismatibus, dein in torpore et anaesthesi ventriculi tractusque intestinalis et morbis inde dependentibus, denique in febribus typhosis cum affectione paralytica tractus intestinalis.

Reilius praecipue in typho paralytico cum meteorismo et diarrhoea conjuncto illum adhiberi vult, et Bergius ejus vim contra febres intermittentes malignas et difficile depellendas laudat. Externe in paralysi topica, amaurosi etc. ad derivandum adhibetur.

Pulveris dosis est granorum duorum usque ad sex cum vehiculo mucoso involventi conjunctorum, nisi praecipue irritamentum locale in ore aut oesophago excitari debeat. Saepius Tinctura, ex uncia dimidia fructuum cum unciis duodecim spiritus vini, aut secundum Pharmacopoeam borussicam ex unciis duabus fructuum cum libris duabus spiritus vini parata in usu est; adhibentur quoque infusa et decocta cum aceto, spiritu frumenti aut aqua parata.

III.

Structura partium exteriorum.

Radix annua vel perennis, magis minusve fibrosa, rarius fusiformis, in speciebus frutescentibus demum in ramos plures divisa, lignosa, ex qua

Caules oriuntur in annuis semper solitarii $\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ pedales, in frutescentibus contra haud raro plures $1\frac{1}{2}$ — 5pedales et ultra, frequentius erecti, in aliis stricti, in aliis subflexuosi, rarius et in unica quidem hujus generis specie (Capsico Milleri R. et S.) ad terram quasi diffusi; simplices toti vel superne tantum ramosi vel ramosissimi, herbacei vel lignosi, angulosi, vel v. c. in frutescentibus uti Capsico cerasiformi frequentius inferiore parte teretiusculi, et ad petiolorum pedunculorumque insertionem nec non in dichotomia ramorum subinde violaceo-rubentes. Rami, si adsunt, alterni vel e caulis dichotomia orti, semper angulosi, interdum sulcati aut striati, et ut caulis subinde ad petiolorum insertionem colore violaceo adspersi.

Folia semper petiolata, alterna, solitaria vel gemina ternave, et si geminata, semper alterum altero majus. Ad formam si respicis, plerumque sunt oblonga, sed vario modo rece-

dunt, cum simplicem nimirum formarum cyclum folii sublanceolati, diminuta sectione longitudinali in oblongam et per ellipticam in ovatam sursum diminutam folii formam percurrunt. Respectu ad insertionem habito, folia ita formata sunt, ut basi subproducta plerumque inaequali in petiolum, modo longiorem modo breviorem canaliculatum et in nonnullis infra medium usque foliorum lamina marginatum, decurrant. Margo foliorum in nonnullis subsinuolutus in reliquis omnibus integerrimus, — in aliis nudus, in aliis pilis sparsis ciliatus. Superficies in omnibus fere laevis, glabra (exceptis forsan punctulis minutissimis, vix elevatis, lente tantum conspicuis, verrucularum illarum similitudine, quae in calycibus nonnullarum specierum occurrunt.,) subinde pilis sparsis solitariis scabriuscula, coloris sordide vel obscurius viridis. Facies inferior opaca, pallidior, nervis pallidioribus percursa, saepius pilis magis minusve rigidulis obsita, qui in nervis praecipue illorumque cum nervo medio angulis reperiuntur. Color obscure viridis, e glauco virens sordide flavescenti-viridis nonnunquam ut in Capsico bicolori violaceus vel atro-purpureus. Foliorum directio vernatione erectiuscula, mox patens vel etiam patentissima, mox reflexa. Ramorum folia plerumque erectiuscula vel patentia, caulina nunc patentia nunc divergentia nunc reflexa, nec raro sub fructificatione decidua.

Flores alares et extraaxillares, solitarii, gemini, aut, quod rarius observatur, terni; solitariis tamen, imprimis in speciebus frutescentibus, haud raro nonnulli gemini ternique immixti reperiuntur. Pedunculi flores fulcientes semper uniflori, glabri vel puberuli, angulati interdum sulcati, calycem versus incrassati, varia longitudine ac directione, cum nunc erecti, nunc divergentes, nunc penduli apparent. Pedunculi fructiferi utplurrimum demum glabrescunt, sed floriferorum directionem raro, ut in Capsico luteo et nonnullis aliis adservant.

Calyx sub anthesi mediocris, et si fructum respicias maturum, parvus, persistens, hypogynus, subcyathiformis, penta-hexagonus, glaber, vel pilis sparsis pubescens, in nonnullis verruculis parvis vix elevatis scaber, quinque-sexdentatus, dentibus acutis vel obtusis, papillaeformibusve, in aliis erectis in aliis patulis, post corollae lapsum baccae utplurrimum adpressis, rarius ut in Capsico baccato patentibus vel etiam uti in Capsico luteo reflexis. Ceterum post deflorationem calyx varias mutationes, tam et ipse quam partes ejus singulares quoad formam directionemque habet.

Corolla utplurimum sordide alba, sed modo pallidioris coloris, modo obscurioris rarius ochroleuci; rarissime et in Capsico bicolori tantum colore violaceo tincta est. Ad formam si respicis, apparet hypogyna, rotata, tubo brevi, basi coarctato intusque striatulo; limbo quinquefido, (aliquando tamen ob culturam solique ubertatem luxuriante natura, uti etiam in calycis dentibus observamus, sexfido,) patulo, aestivatione plicato, laciniis aequalibus ovatis vel oblongo-ovatis acutiusculis, apice plerumque inflexis.

Stamina frequentius quinque, subinde, attamen rarius, sex, aequali longitudine, tubo inserta, laciniisque corollae alterna. Filamenta quibus antherae fulciuntur, cylindrica, superne attenuata, basin versus subincrassata planiusculaque, tota glabra, antheris longiora. Antherae conniventes, sectione transversali quadriangulatae, angulis obtusis rotundatis, biloculares, utroque latere longitudinaliter dehiscentes, totae filamentis adnatae, foecundatione peracta, erectae, marginibus loculorum sinuato-undulatis. Pollen, quod antherae in foecundatione effundunt, glauco-virescentis vel flavescentis coloris, constat e granulis minutissimis oblongo-subrotundis, quae aquae immissa paululum tument, atque formam magis rotundatam induunt.

Germen ovoideo-conicum vel subrotundum, glabrum, laeve, in plerisque apice foveolatum, bi-triloculare, cui insidet stylus unicus, erectiusculus, superne incrassatus, staminibus longior. Stigma estobtusum, obtuse trilobulatum vel difforme.

Fructus: Bacca subcoriacea, exsucca, inflata, oblonga, conoidea, subcylindracea, ovata, subglobosave, bi-trilocularis, polysperma, dissepimentis parietalibus placenta centrali adnatis, superne utplurimum incompletis; epicarpio tenui, nitido, varie colorato; endocarpio subcarnoso, vesiculoso-celluloso; sarcocarpio in herbaceis crasso succulento, in frutescentibus tenuiori sicciorequé. Semina numerosa, subreniformia, lateribus compressiuscula, plerumque straminea, laevia vel scabriuscula, subascendentia, sessilia, hylo oblongo, ambitu subspongioso, placenta centrali vel etiam dissepimentis, et superne his tantummodo insidentia. Seminis integumentum (testa) duplex, exterius coriaceum, plerumque stramineum, laeve, vel in nonnullis sub lente verruculis scabrum, exterius tenuissime membranaceum, albidum. Corculum spirale, teretiusculum, albidum, albumine seminis testae conformi subcarnoso, inclusum. Radiculae teretis subconicae, hylum spectantis, apex albuminis tantum strato tenuissimo tectus.

Ex his, de structura variarum partium hujus generis vegetabilium allatis, sequenti modo character naturalis describi potest.

IV.

Character naturalis et essentialis.

Calyx subcyathiformis, hypogynus, quinque-sexdentatus, persistens, penta-hexagonus, angulis rotundatis; dentibus acutis vel truncatis subpapillaeformibus erectiusculis vel patulis patentibusque, post deflorationem varie mutatus.

Corolla rotata, hypogyna, tubo brevi basi subcoarctato intus striatulo: limbo quinque-vel sexfido, aestivatione plicato; laciniis ovatis vel oblongo-ovatis acutiusculis, basi plicato-canaliculatis, apice inflexis.

Stamina quinque, corollae laciniis alterna. Filamenta cylindrica superne attenuata, basin versus subincrassata planiusculaque, corollae tubo inserta, antheris longiora. Antherae conniventes, e transverso sectae quadriangulatae, angulis obtusis rotundatis, biloculares, utroque latere longitudinaliter dehiscentes, totae filamentis adnatae.

Germen ovoideo-conicum vel subrotundum, utplurimum apice foveolatum bi-vel triloculare. Stylus unicus, erectiusculus, apice incrassatus, staminibus longior. Stigma obtusum, obtuse trilobulatum vel difforme.

Fructus: Bacca subcoriacea, exsucca, inflata, oblonga, conoidea, ovata vel subglobosa bi-trilocularis, rarissime (in Capsico microcarpo unilocularis[1]) polysperma, dissepimentis parietalibus placenta centrali adnatis, superne incompletis. Semina subreniformia, compressiuscula, subascendentia, hylo oblongo, ambitu subspongioso, placenta centrali atque dissepimentis, et his superne tantummodo insidentia. Corculum teretiusculum, spirale, albumine subcarnoso inclusum, radicula brevi hylum spectante.

Vegetatio. Plantae annuae aut perennes, herbaceae aut fruticosae. Caulis angulatus, herbaceus aut lignosus, simplex vel ramosus, ramis utplurimum patentibus angulatis. Folia alterna, solitaria, gemina rarius terna, petiolata, integra vel sinuolata, attenuata. Pedunculi alares et extraaxillares, uniflori, solitarii, gemini ternique. Flores sordide albidi, ochroleuci, vel violacei. **Fructus:** Bacca exsucca, polymorpha, erectiuscula vel pendula, varie colorata.

1) Fructum trilocularem augmento insolito partium fructificationis pendere, non dubium est. Carpella enim gemina, in fructum bilocularem concreta, omnibus Solanaceis communia, rarius in ista familia duplici numero seu quaterna inveniuntur, vel ad reliquarum partium floris numerum quinarium ascendunt. Terna autem illa loculamenta vel carpella comparanda sunt senis staminibus vel laciniis calycis, in eadem Capsici planta saepe cum quinariis florum partibus promiscue inveniendis.

Haec de charectere naturali! Restat nunc adhuc, ex allatis notis quoque characterem essentialem constituere, quam hoc modo formandum esse censeo.

Capsicum. Calyx quinque- vel sexdentatus, dentibus erectiusculis vel patentibus. Corolla rotata, tubo brevi intus striatulo, limbo quinque-aut sexfido aestivatione plicato. Antherae conniventes, biloculares, utroque latere longitudinaliter dehiscentes. Fructus: Bacca exsucca, inflata, forma varia, bi-trilocularis, polysperma, dissepimentis placenta centrali adnatis, superne incompletis. Semina numerosa subreniformia compressiuscula.*)

Observ. Singulari adhuc adnotatione dignae videntur observationes in partium fructificationis Capsici microcarpi structuram, quae me docuerunt, hanc speciem ob fructus praecipue calicisque structuram e serie capsicorum auferendam et alio fortasse generico nomine salutandam esse. In dubio autem mihi adhuc positum est, utrum hoc sub nomine una species an plures, ne dicam formae variae, quin ipsae species, uti e descriptionibus variorum auctorum elucet, lateant. Cum autem acuratius in haec Capsici microcarpi exempla inquirere occasio mihi deesset, notas tantum peculiares atque certiores (in unica planta Horti botanici Bonnensis observatas), quaeque hanc distinctionem probare videantur, sequenti ordine exponam.

Calyx subcyathiformis, subpentagonus, superne dilatatus quinqefidus, laciniis teretiusculis subulatis horizontaliter patentibus pilosis, calyce longioribus. Basi cujusvis laciniae in summa calycis margine processus denticuliformis, parvus, acutiusculus, post deflorationem utplurimum evanescens, apparet. Corolla albido-flavescens, rotata, tubo brevi intus laevi, limbo plano-expanso, nec plicato, quinquefido, maculis 10 flavis viridi-punctatis, notato; lacinulis acuminatis acutiusculis apice inflexis, interstitiis subrotundo-excavatis,

Antherae conniventes, biloculares, sectione transversali numero arabico ∞ similes, stylum versus longitudinaliter dehiscentes, filamentis summo tubo insertis, aequales.

Germen subrotundum, glabrum, uniloculare. Stylus erectus, basi subincrassatus, pilis adpressis vestitus. Stigma obtusum, medio foveolatum. Fructus: Bacca oblongo-subrotunda, erecta, glabra, nitida, unilocularis, quinque-vel sexsperma, sarcocarpio tenui. Semina majuscula, laevia, subreniformia compressa, pallide flavida.

Comparatione hujus characteris cum Capsici charactere facta, facile intelligi potest, etiamsi sola fructus structura respiciatur, utrumque satis a se invicem recedere. Cui si adjunges calycis ac corollae diversam structuram vegetationem variam atque habitum totius plantae, proprii generis jura eidem forsan non repugnanter tribues.

V.

Generis divisio.

Jam apud Clusium in ejus *„Curis posterioribus a fratre Gregorio de Regio"* Capsicorum illo tempore notas species in tres subdivisiones vel classes redactas reperimus; quarum prima omnes species fructum surrectum et sursum spectantem gerentes comprehendit, secunda omnes eas, quae fructu rotundo et ad terram inclinato praeditae sunt, et tertia denique eas, quae fructu oblongo et deorsum propendente gaudent. Hanc divisionum ordinem Joh. Rajus in *Historia Plantarum* et alii in universum secuti sunt, vel ei proxime accedere videntur. Bauhinus, Befslerus, Tournefortius, Millerus aliique in operibus suis haec vegetabilia absque ordine, absque separatione subtiliori, affinitatis utplurimum cujusdam tantum rationem habentes, collocasse

*) cfr. Tab. nostr. I.

videntur. De paucis Capsici speciebus a Linneo et posteriori tempore a Willdenowio allatis dicere non opus est, cum distributione haud indigeant. Römerus et Schultesius in *Systemate Vegetabilium* ad pedunculorum statum respicientes omnes a se descriptas species partim pedunculis solitariis partim geminis gaudere statuerunt. Attamen hanc separationis rationem et ipsi haud sufficientem agnovisse videntur, cum subdiviones primarias illas „pedunculis solitariis - pedunculis geminis," in alias denuo divisiones secundum fructuum directionem distribuerent. Verum enimvero status pedunculorum (an solitarii geminive) cultura solique mutatione adeo variatur ut certam distributionis rationem praebere nequeat; haud raro enim, uti jam supra dixi, praesertim inter frutescentes capsicorum species, in una eademque planta pedunculi solitarii, gemini, imo et ipsi ternati solitariis geminisque frequenter immixtis, reperiuntur. Ex quibus patet, illas, quas diximus Capsici species digerendi rationes haud aptiores esse reliquis, quippe quae characteribus minus certis nitantur. Alium igitur dictribuendi modum, certioribus distintionis notis innixum, sedulo quaerenti fructuum mihi succurrit tam quoad formam quam directionem tantam esse diversitatem, ut isti, etiamsi cultura paululum imutentur, tamen characteres certiores ad tribus naturales exstruendas praebere valeant. Respectu igitur ad fructus directionem habito, omnes generis Capsici species ln duas divisiones, quarum altera omnes species fructibus erectis seu erectiusculis, altera autem omnes, quae fructibus nutantibus seu pendulis praeditae sunt, comprehendit, describo. Quae quidem primariae divisiones iterum quoad fructus vel oblongam vel subrotundam formam in duas subdivisiones separari possunt.

Observ. I. Fructifera tantum exempla ad rite definiendas formas singulares, in usum vocanda sunt.

Observ. II. In utraque autem serie primaria formas aliquas, alterius seriei quibusdam exemplis ut quae maxime similes exstare, me non fugit; neque vero propositum mihi est, in his, quae sequentur, omnem circa jura specierum inter eas dubitationem tollere: dummodo opera mea certior evadat faciliorque earum, quae hucusque in tenebris latebant Capsici formarum, cultura caeteroquin e semine persistentium, distinctio.

VI.

Characteres in distinguendis speciebus praecipue adhibendi.

Priusquam ad descriptionem specierum accedam, specialiora quaedam de notis, ad differentias specificas potissimum adhibendis proponam, necesse est. Magna partium nonnullarum inter se convenientia et mutationes, quas cultura ac soli influxu hujus generis vegetabilia subeunt, primo intuitu varias nobis in exstruendis characteribus specificis difficultates afferunt; foliorum enim forma ac superficies pitiolive et relatio illorum ad alias partes, nil certi praebere valent. Nec minus incerti sunt characteres a pedunculorum superficie magis minusve pilosa aut ab eorum longitudine statuque desumti, cum isti, sicuti et flores jam per se quidem parum diversitatis exhibentes, etiam cultura mutentur. Majoris momenti autem mihi esse videntur calyx et fructus, qui, ratione ad alias partes habita, minus mutabiles, characteres primarias ad species rite discernendas exhibent. Quam ob causam calycis praecipue formam ac superficiem, dentes ejus ratione formae ac directionis, deinde mutationes, quas partes illae post deflorationem sentiunt, ac denique ejus ad fructum relationem scilicet an fructus calyci insideat an eo basi cingatur, in auxilium vocavi, id unum dolens, me hos characteres in omnibus speciebus nondum rite observare potuisse; tum vero e fructus denique forma, directione ac structura, e relatione loculorum, nec non e directione decursuque dissepimentorum vel etiam ex illorum forma

atque structura, facta omnium inter se comparatione, certissimi characteres specifici desumi possunt. Nonnullis quidem Capsicorum fructus tam quod ad formam quam ad coloris tincturam maxime variabiles perhibentur; mihi vero, quamquam haec coloris variationes, cum Capsicum annuum et plures affines species fructibus rubris, flavis, flavo et rubro variegatis occurrere soleant, bene cognoverim, neque in discrimen vocare velim, nihilominus tamen illae fructus nimis agitatae mutationes non omnes saltem mihi probatae, eoque magis dubitationibus obnoxiae videntur, quo magis multa, quae circa hanc rem disputantur, e male tantum distinctis speciebus affinibus ortum duxissi persuasum est. Quod reliquum autem est, concedo, uti jam dixi soli naturam culturamque variam multum ad formarum singularum aberrationes valere, eademque causa vel magnam specierum adhuc cognitarum partem esse profectam, sed quoniam hactenus hae modificationes vix ac ne vix quidem certis rationibus explicari ac statui possint, atque adeo specierum, quas dicimus, ad paucas ceu genuinas reductio omni certo fundamento careret, illarum formarum tanquam specierum probalium distinctionem accuratam utilem ac necessariam esse existimo. Hanc quoque ob causam non haesi, Capsica subsequentia evidenter diversa tanquam species distinguere, usque dum fortasse aliquando observationes uberiores, et disquisitiones ulterius perductae hanc rem ex omni parte caute illustrabunt.

VII.

Specierum descriptio.

A. Fructibus erectis vel erectiusculis.

a. Fructibus oblongis.

1. ***Capsicum annuum Lin.*** C. herbaceum, foliis ellipticis vel ovatis acuminatis, integris glabris; calyce erecto vel erectiusculo, pentagono, glabro, dentibus erectis acuminatis obtusiusculis; fructibus laeviusculis conico-oblongis, basi dilatata calyci amplificato insidentibus, apicem versus attenuatis bilocularibus, dissepimentis placentam versus incrassatis. Tab. nostr. II.

Capsicum fructu oblongo nunc erecto (nunc nutante) rubro. *Miller* Engl. Gartb. I. 169. ex parte.
Capsicum fructu conico oblongo majori. *Brown* Jamaic. 176.
Capsicum fructu surrecto oblongo. *Tournefourt* instit. 152.
Capsicum annuum *Linn.* Hort. Cliffort. 59. Hort. upsal. 47. Flor. Zeylan. n. 92.
Capsicum caule herbaceo. *Linn.* spec. plant. 188. *Royen* Lugdb. 426. *Kramer* Elench. Veget. 56.
Capsicum caule herbaceo, pedunculis solitariis. *Linn.* Syst. Naturae II. p. 935. (Halae 1760). Spec. plant. 270. Edit. *Willd.* I. 1050.
Capsicum annuum, fructibus oblongis (pendulis) erectisque, petiolis glabris, caule herbaceo. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. IV. 559. ex part. (excl. syn. quampl.)
Capsicum annuum. *Blackw.* Herb. t. 129. ic. mala. *Kniph.* bot. in original. Cent. II. t. 230. Vollständ. Samml. offic. Pflanzen, von *Wolter Weihe* und *Fr. Nees von Esenbeck* Heft I. ic. bona (excl. plur. syn.)
Piper indicum siliquis surrectis et oblongis. *C. Bauhin.* Pin. 102.
Piper oblongum erectum vel II. *Reg.* in *Clusii* Cur. post. l. c.

Piper oblongum erectum majus pyramidale. *Joh. Raji* Historia plant. I. 677.
Solanum mordens fructu longo erecto. *Weinmanni* Phytanthoz. IV. 349. t. 928. lit. e.
Quiya-uca, fructu tres digitos longo cylindraceo-acuminato, cum maturuit rubro. *Marggrav.*
Quiya sive piper brasiliense *Guil. Pison.* Histor. nat. et med. lib. IV. Cap. LI. p. 225 cum icone fruct.

Caulis herbaceus, erectus, 1—2 pedalis subsimplex vel ramosus, tetra-pentagonus, angulis obtusis, gabriusculus, ad pedunculorum petiolorumque insertionem interdum pilis sparsis rigidiusculis adpressis instructus, ramis alternis erecto-patentibus vel patentibus glabris. Folia patentia, inferiora divergentia, alterna, solitaria, bina, rarius terna, alterum altero majus, 1½—3 poll. longa, ½—1½ poll. lata, elliptica vel ovata, acuminata apice rotundato obtusa, integra, e basi latiore in petiolum decurrentia, facie atro-viridia, subtus pallidiora nervoque medio crasso instructa. Petioli glabri, folio breviores, facie canaliculati basi latiores, lateribus superne ad medium usque foliorum margine producto instructi. Pedunculi solitarii rarius gemini, glabri, subangulati, calycem versus incrassati, 7—11 lin. longi, fructiferi erecti vel erectiusculi. Calyx conico-cyathiformis, truncatus, penta-hexagonus, angulis rotundato-obtusis, quinque-sexdentatus, dentibus erectis acuminatis apice obtusiusculis, glaber, post deflorationem superne dilatatus, dentibus patulis. Corollae limbus quinque-sexfidus sordide albidus, laciniis oblongis ovato-acuminatis plicatis apice acutiusculo plerumque inflexis. Germen laeve, ovatum superne attenuatum, apice foveolatum. Stylus erectiusculus apicem versus subincrassatus, stigmate obtuso subtrilobulato. Bacca conico-oblonga, 1—3½ pollicaris, suberecta, apice attenuata, obtuso-rotundata, basi latiore calyci dilatato insidens, laevis, nitida, primum atro-viridis seu colore nigrescenti inspersa, maturitate plerumque intense cinnabarina vel etiam variegata et flava, bilocularis, dissepimentis oppositis, superne liberis, basi placenta centrali concretis ibique incrassatis subbilobis. Semina subreniformia, lateribus compressiuscula, straminea, superne dissepimentis tantummodo insidentia.

Pro varia cultura ac soli mutatione mirifice variat. Occurrit enim: 1. Caule simplicissimo humiliori; 2. Caule ramosissimo majori vel et superne tantum ramoso; 3. foliis majoribus magis acuminatis vel minoribus, atro-viridibus, pallescentibus, nec non, sed rarius variegatis; 4. fructibus majoribus longioribusque vel minoribus ad ovatam quidem subcordatamve formam tendentibus. etc. Ne varietatum formarumque intermediarum copia nimis longa sit, Sequentes tantum memoratu digniores, afferam:

b. Capsicum annuum rugosulum: fructibus conicis latis majusculis basi dilatata calyci insidentibus subrugosis rubris.

c. Capsicum annuum acuminatum: fructibus conico-acuminatis erectis plerumque minoribus, basi amplificata calyci insidentibus rubris vel flavo et rubro variegatis.

Capsicum fructu pyramidato plerumque erecto rubro. *Miller* Engl. Gartb. I. 169.
Capsicum siliquis surrectis et oblongis brevibus. *Tournefort* instit. 152.
Piper erectum minus pyramidale vel III. *de Reg.* in *Clusii* cur. post. 52. *Joh. Raj.* Historia plantar. l. c.
Piper indicum medium longum erectum. *Hort. Eyst.* Aut. O. I. fol. 11. fig. simistr.
Piper indicum siliquis surrectis et oblongis, 1. pyramidale majus et 2. pyramidale minus. *C. Bauhin.* Pin. 102.
Piper brasiliense. *Guil. Pison.* Histor. l. c. cum ic.

d. Capsicum annuum subangulosum: fructibus conico-truncatis anguloso-torulosis apice plerumque bifidis erectiusculis, praecedenti paulo minoribus.

Capsicum fructu bifido. *Tournefort* instit. 152.
Piper indicum bifurcata siliqua. *Hort. Eyst.* Aut. O. I. fol. 8. fig. sinistr.
Solanum mordens bifurcata siliqua. *Weinm.* Phytanthoz. IV. p. 349. t. 928. lit. a.

e. Capsicum annuum ovoideum: fructibus oblongis ovoideis majusculis erectis laevibus flavis aut rubris.

Quiya sive piper brasiliense *G. Pisonis* Histor. nat. l. c. cum ic.

f. Capsicum annuum abbreviatum: ramosissimum, fructibus ovatis vel cordiformibus erectis subrugosis rubris.

g. Capsicum annuum olivaeforme: gracile, fructibus ovato-oblongis olivaeformibus erectis rubris.

Capsicum fructu olivario erecto. *Miller* Engl. Gartb. I. 169.
Capsicum annuum et olivaeforme *Röm.* et *Schult.* S. V. l. c. (excl. Tornefortii syn.)
? Solanum Capsicum fructu erecto rubro rotundo. *Weinm.* Phyt. l. c. t. 929. lit. a.

Crescit in America meridionali et India orientali. Planta annua.

2. ***Capsicum conoides Miller.*** C. frutescens, foliis oblongo-lanceolatis acuminatis integris subciliatis; calyce erectiusculo truncato subpentagono, dentibus quinque brevibus acutis demum subevanescentibus; fructibus oblongis laeviusculis (parvulis) basi calyce amplificato cinctis, superne subattenuatis obtusis, bi-trilocularibus, dissepimentis tenuibus utrinque aequalibus.
Tab. nostr. III.

Capsicum conoides, caule suffrutescente, fructibus ovato-conicis surrectis. *Röm.* et *Schult.* S. V. IV. 562. excl. *Lobel.* syn.
Capsicum conicum *Lam.* Illustr. n. 2390. *Poiret.* Enc. Meth. V. 327.
Capsicum caule fruticoso, fructu conico erecto rubro. *Miller.*
Capsicum siliquis surrectis et oblongis exiguis. *Tournef.* instit. p. 152.
Capsicum minus fructu parvo pyramidali erecto. *Sloane* Jam. 112. Hist. I. 240. t. 146. f. 2. *Miller* l. c.
Capsicum fructu minimo conico rubro. *P. Brown.* Hist. of Jamaic. p. 176.
Capsicum erectum var. annui *Mart.* En. Hort. Erl. 65?
Capsicum cerasiforme δ. macrocarpum. *Besser* Cat. Hort. Krzem. 27.
Capsicum indicum, 4 elaeocarpon b. conoides, fructibus ovato-conicis erectis. *Dierbach* in Arch. d. Apothekerv. B. XXX. Heft. I. 22. 59.
Piper oblongum exiguum erectum pyramidale vel piper IV. *de Reg.* in *Clusii* cur. post. 52. *J. Raj.* Hist. pl. I. 677.
Piper indicum surrectis corniculis, *Camer.*
Piper indicum oblongum surrectum majus et minus differ. 3. *C. Bauh.* Pin. 102.
Piper indicum minimum erectum. Hort. Cyst. O. I. fol. 8. fig. I. dext.
Solanum mordens minus erectum. *Weinm.* Phyt. l. c. p. 349. lit. b. (forma maj.)
Quiya sive Piper brasiliense *G. Pisonis* Hist. nat. l. c. cum ic. fruct.

Fruticulus 1—2 pedalis, ramis subangulatis glabris, ramulis pentagonis, angulis hinc inde foliorum insertione limitatis, subpubescentibus. Folia alterna, 10—15 lineares, oblongo-lanceolata, acuminata, basi in petiolum subproducta, laete viridia, margine integra ciliisque hinc inde sparsis obsita, subtus pallidiora, glabra vel ad nervorum angulos puberula. Petioli teretiusculi, glabri, supra subsulcati, foliis multo breviores. Pedunculi erectiusculi, superne incrassati, solitarii aut gemini, extraalares, subangulares, fructiferi erecti. Ca-

lyx ovato-conicus, superne truncatus, subpentagonus, glaber, quinquedentatus, dentibus brevibus acutiusculis, fructiferus dilatatus, laevis, dentibus subevanidis. Corolla sordide albida, vel ochroleuca, quinquefida, laciniis lanceolato-acuminatis, apice acuto inflexo, plicatis. Germen ovoideum, laeve. Bacca oblonga, erecta, superne subattenuata, apice obtuso rotundata, intense rubra, nitida, laeviuscula, basi calyce dilatato cincta, bi-trilocularis, dissepimentis aequalibus liberis. Semina parva, subreniformia, dissepimentis insidentia.

Variat.:

b. Capsicum conoides sulcatum: fructibus minoribus erectis, utroque latere sulcis longitudinalibus notatis, unde apex fructus quasi bi-vel quadrifidus evadit.

c. Capsicum conoides chordale: fructibus tenuibus erectiusculis elongatis (12—15 lin.) apice truncato rotundatis, rubris.

?Quiyaqui Brasiliensibus, fructu cylindrico-pyramidali, majoris chordae Violae crassitie. *Marggrav.*

Crescit in America et Indiis. Frutex.

3. *Capsicum pyramidale Miller.* C. frutescens, foliis ovatis acuminatis glabris; calyce subpentagono erecto glabro superne subdilatato truncato, dentibus acuminato-acutiusculis; fructibus oblongo-pyramidalibus obtuse angulatis, basi calyce cinctis subtrilocularibus, dissepimentis irregularibus tenuibus endocarpium versus subincrassatis.
Tab. nostr. III.

Capsicum pyramidale, caule fruticoso, foliis lineari-lanceolatis, fructu pyramidali erecto luteo. *Röm.* et *Schult.* S. V. l. c. 563?
Capsicum fructu flavo pyramidato oblongo erecto (vel nutante). *Miller* Engl. Gartb. I. 169. ex part.
Capsicum minus flavum. *Rumph.* Herb. Amboin. t. 88. fig. 3.
Capsicum indicum, 4 elaeocarpon c. pyramidale fructu pyramidali erecto. *Dierbach* l. c.

Fruticulus pedalis et altior, erectus, ramosus, ramis alternis patentibus subpentagonis glabris. Folia solitaria, alterna geminave, oblongo-lanceolata vel ovata, acuminata, basi in petiolum subproducta, glabra. Petioli mediocres teretiusculi, glabri. Pedunculi solitarii, erecti, axillares, superne incrassati, 7—9 lineares, glabri. Calyx subcyathiformis, subpentagonus, glaber, superne subdilatatus, subtruncatus, quinquedentatus, dentibus acuminato-acutiusculis patulis, fructiferus amplificatus, laeviusculus. Corolla sordide albida, magnitudine illi Solani nigri, quinquefida, laciniis lanceolato-acuminatis plicatis. Bacca oblongo-pyramidalis, obtuse angulata vel angulato-rugosa, basi calyce cincta, erecta, nitida, sordide flava, bi-trilocularis, dissepimentis tenuibus irregularibus endocarpium versus subincrassatis.

Variat.:

b. Capsicum pyramidale torulosum: fructu pyramidali angulato-rugoso.

Capsicum africanum fructu-pyramidali rugosissimo plerumque erecto. *Miller* Engl. Gartb. l. c.
Capsicum torulosum Hortor.

Patria. Africa et India orientalis. Frutex.

4. *Capsicum bicolor Jacq.* C. frutescens, foliis oblongo-ovatis acuminatis glabris, (violaceo-maculatis); calyce erectiusculo superne subdilatato truncato penta-hexagono, den-

tibus brevibus erectis acutis; fructibus oblongo-subconicis apice obtuso rotundatis basi calyce amplificato cinctis, bilocularibus, dissepimentis placentam versus incrassatis.
Tab. nostr. III.

Capsicum bicolor fructibus oblongis mucronatis, petiolis glabris, caule fruticoso. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. l. c. p. 564. *Jacq.* Fragm. t. 99.
Capsicum violaceum. *Hort. Reg.* Madr. *Brouss.* El. h. Monsp. 1804. 12. *Decand.* Cat. Hort. Monsp. 1813. 87.
Capsicum nigrum. *Willd.* En. Hort. Berol. I. p. 242.
Capsicum indicum, 4 elaeocarpon, c. nigrum, fructibus oblongis mucronatis. *Dierbach* l. c.

Frutex 2—3 pedalis, ramis divergentibus flexuoso-patentibus subtetra-subpentagonis glabris et uti tota planta magis minusve colore violaceo adspersis. Folia alterna, solitaria, vel et superne in ramulis gemina, alterum altero majus, 10—21 lineas longa, oblongo-ovata, acuminata, acuta vel obtusiuscula, basi in petiolum producta, glabra, margine sinuolata, facie atro-viridia, violaceo maculata, qui color vel totam folii superficiem vel basin tantummodo ac nervos cum eorum ramificationibus tingit, subtus pallidiora intense violaceo-marginata vel striis maculisque variis ejusdemque coloris notata. Petioli glabri, supra sulcati, 3—7 lineares, violacei vel violaceo-marginati, foliis multo breviores. Pedunculi solitarii, subpentagoni, superne incrassati, 5—7 lineas longi, violaceo colorati, fructiferi erectiusculi. Calyx brevis, erectiusculus, superne dilatatus, truncatus, penta-hexagonus, glaber, dentibus erectiusculis brevibus acutiusculis, post deflorationem magis dilatatus subinfundibuliformis, margine membranaceo. Germen conicum, laeve. Stylus erectus, longus, pallide violaceus, superne cum stigmate subincrassato subcernuus. Corolla plerumque quinquefida, laciniis oblongo-ovatis margine plicato-undulatis, apice inflexo, e flavescenti sordide albidis violaceo-marginatis. Bacca oblonga, conica, erectiuscula, basi calyce dilatato subcincta, superne subattenuata, stylo persistente marcido plerumque apiculata, 5—10 lineas longa, nigro-violacea vel saturate purpurea, bilocularis, dissepimentis oppositis regularibus, placentam versus attenuatis.

Variat.:

b. Capsicum bicolor purpureum: fructibus oblongis erectis mucronatis, petiolis glabris, caule fruticoso, ramis divaricatis. Hornem. Hort. reg. Havn. I. 224. Röm. et Schult. S. V. l. c.

„Caulis atropurpureus, rami striis et folia maculis atropurpureis picta."

Patria . . . . frutex.

5. ***Capsicum conicum* Meyer.** C. herbaceum, foliis ovatis acuminatis integerrimis scabriusculis; calycis glabri dentibus brevissimis; fructibus oblongo-conicis erectis (calyci insidentibus,) . . . .

Capsicum conicum, pedunculis geminis, calycibus subintegerrimis, fructibus oblongo-conicis erectis, caule herbaceo. *Meyer* Primit. fl. Essequeb. 112. *Röm.* et *Schult.* S. Veget. Add. IV. 809.
Capsicum frutescens. *Rodschied.* obs. p. 38. fid. fl. Esseq.

Caules ramosi, flexuosi, teretes, subtuberculati, glabri. Rami patenti-divergentes, in ramulos pubescentes divisi. Folia alterna, solitaria rarius gemina, ovata, acuminata, basi breviter in petiolum attenuata, integerrima utrinque scabriuscula, subtus ad venas pubescentia. Petioli pubescentes. Pedunculi alares et axillares, erecti, teretes, puberuli, statu fructifero

stricti, subincrassati, glabri. Flores cernui. Calyx glaber. Corollae tubus brevissimus, laciniae oblongo-ovatae, acuminatae, glabrae. Filamenta brevia. Antherae lineari-oblongae, obtusae, virescentes. Germen ovatum. Stylus filiformis, staminibus longior. Stigma obtusum. Pericarpia (Bacca) glabra, subcrocea, nitida. Semina reniformia, compressa, opaca. Meyer.

Crescit in plantationibus Essequeboensibus. Planta annua.

6. *Capsicum frutescens Willd.* C. frutescens, foliis ovatis subacuminatis integris glabris; calyce suberecto subpentagono subtruncato glabro, dentibus brevissimis acutis; fructibus ovato-oblongis obtusis laevibus, basi calyce cinctis, bilocularibus, dissepimentis aequalibus. Tab. nostr. IV.

Capsicum frutescens, caule fruticoso, pedunculis solitariis, fructibus oblongis. *Linn.* Sp. plant. Edit. *Willd.* I. II. 1050. (excl. *Clus.* syn.)
Capsicum, caule fruticoso scabriusculo, pedunculis solitariis. *Linn.* Hort. Cliffort. 59.
Capsicum (frutescens), fructibus oblongis obtusis, petiolis glabris, caule erecto. *Willd.* En. Hort. berol. I. 242. *Lamark.* Illustr. n. 2395. t. 116. fig. 2. *Poiret.* En. Meth. V. 325. (excl. *Mill.* syn.) *Röm.* et *Schult.* S. Veg. l. c. (excl. var. β.)
Capsicum majus rubrum (Malaice Tschili Ayer) *Rumph.* Herb. Amboin. 5. d. 247 t. 88. fig. 4.?
Quiga-Cumeri Brasiliensibus *Marggrav.*

Frutex 2—3pedalis, erectus, glaber, ramis alternis flexuosis teretibus cum ramulis subangulatis glabriusculis. Folia alterna geminave aut opposita, ovata, subacuminata, basi rotundata in petiolum producta, integra, glabra vel margine subciliata. Petioli semiteretes, puberuli 4—5lineas longi. Pedunculi axillares aut oppositifolii, solitarii interdum gemini, superne subincrassati, 8—9 lineares, fructiferi recti. Calyx cyathiformis, subpentagonus, subtruncatus, glaber, 5-dentatus, dentibus brevissimis acutis, demum subevanescentibus, fructiferus amplificatus, suburceolatus, dentibus subnullis. Corolla albida aut ochroleuca, quinquefida, laciniis lanceolatis acutis patentissimis. Germen subovatum, glabrum. Bacca ovato-oblonga, obtusa, laevis, nitida, rubra, basi calyce cincta, bilocularis, dissepimentis aequalibus. Semina glabra, laevia, magnitudine lentis minoris, reniformia.*)

Variat.:

b. Capsicum frutescens minus: fructu ovato obtuso minori.

Capsicum rubrum minimum *Rumph.* Amboin. t. 88. fig. 2.

Crescit in India orientali et America meridionali. Frutex.

b. Fructibus subrotundis.

7. *Capsicum Cumanense.* C. frutescens, foliis oblongis glabris, calyce glabriusculo obsolete quinquedentato; fructibus subglobosis minimis suberectis basi calyce cinctis, ?locularibus,......

Capsicum baccatum, caule frutescente, foliis oblongis glabris, pedunculis geminis fructiferis rectis, baccis subglobosis. *Kunth* synops. plant. aquinoct. II. p. 178 et Voyag. *de Humbold* et *Bonpland*, sixième partie botanique tom. III. p. 39. (excl. *Linn.* syn.)

*) Specimina spontanea e Herbario Heyn. Wight et Hamilt. in India lecta cum illis in hortis cultis plane congruunt.

4

Frutex?, ramis subdichotomis angulatis divaricatis leviter striatis glabris. Folia alterna, petiolata, oblonga, acuminata, basi angustata integerrima, membranacea reticulato-venosa, glabra, subtripollicaria, vix pollicem lata. Petioli canaliculati, glabri, 3—4 lineas longi. Flores axillares, gemini, parvi, magnitudine Solani nigri, nutantes(?). Pedunculi glabri, quinque lineas longi, fructiferi 7—8 lineares angulati erecti aut reflexi. Calyx urceolatus, obsolete quinquedentatus, glabriusculus. Corolla rotata, glabra, tubo brevi calycem aequante, limbo quinquepartito, laciniis ovato-oblongis acutis. Stamina quinque, summo tubo inserta. Filamenta brevia glabra. Antherae oblongae, erectae, biloculares longitudinaliter dehiscentes. Germen obovatum, glabrum. Stylus capillaceus, glaber stamina superans. Stigma obtusum. Bacca globosa, laevis, glabra, magnitudine grani piperis basi calyce persistente cincta. *Kunth.* (Affine C. baccato.)

Crescit locis frondosis inter Cumana et Bordones. Frutex. Fl. Junio.

8. ***Capsicum baccatum Linn.*** C. frutescens, foliis ovatis vel oblongis acuminatis integris glabris; calyce erectiusculo laevi glabro, dentibus subsubulatis obtusiusculis patulis; fructibus parvis globoso-ovatis erectis basi calyce cinctis, junioribus bilocularibus, dissepimentis tenuibus oppositis.

Tab. nostr. IV.

Capsicum baccatum, caule fruticoso laevi, pedunculis geminis. *Linn.* Mantiss. 46. Sp. plant. Edit. *Willd.* I. II. 1050. (excl. syn. plurr.)

Capsicum baccatum, pedunculis geminis (solitariisque), fructibus globoso-ovatis erectis, petiolis glabris, caule frutescente. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. I. c. 564. (excl. syn. plurr.) *Poiret.* Enc. Meth. V. 326.

Capsicum fructu parvo rotundo acerrimo *Sloan.* Jam. l. c. *Miller* Engl. Gartb. I. 169.

Capsicum brasilianum *Clus.* ad *Monard.* in exotic. Cap. 54. p. 340.

Capsicum minimis siliquis *Dodon.* Stirp. Hist. pempt. V. Cap. XXVI. 704. c. ic.

Capsicum brevioribus siliquis, *Lobel.* stirp. obs. 172. c. icone. et Advers. 134. (?)

Capsicum indicum, 5 microcarpon, b. ribesium, fructibus globoso-ovatis erectis. *Dierbach* l. c.

Piper brasilianum Clusii. *Joh. Raj.* Hist. plant. I. 678.

Piper siliquosum magnitudinis baccarum Asparagi. *J. Bauh.* Hist. 2. 944. *Afzelius* Remed. Guineens. Coll. II. 12.

Siliquastrum rotundum angustifolium. *Tabernaemont.* Kräutb. Edit. *C. Bauh.* I. Cap. CXXXVII. p. 530. fig. II.

Quauh-chili Mexicanis, fructus Oleastri baccas forma et magnitudine, caeteris omnibus acrior. *Franc. Hernand.* Hist. pl. mexicanar. l. c.

Frutex 1—2pedalis, erectus, glaber, ramis divaricatis ramulisque angulatis leviter striatis glabris. Folia alterna, oblonga, acuminata, basi plerumque inaequali in petiolum producta, integra, glabra, 1—2½ polices longa, 6—13 lineas lata. Petioli canaliculati, semiteretes, glabri 5—8 lineares. Pedunculi gemini rarius solitarii, striato-angulati, glabri, erecti vel erectiusculi, 4—6 lineares. Calyx subcyathiformis, laevis, glaber, quinquedentatus, dentibus obtusiusculis fere subulatis patulis, fructiferus erectus, amplificatus, dentibus patentibus. Corolla parva, virescenti-alba seu sordide albida, quinquefida, laciniis ovato-oblongis acuminatis. Germen subovatum, glabrum, laeve. Stylus erectus, gracilis, superne subincrassatus stigmate acuminato. Bacca globoso-ovata, erecta, basi calyce cincta, glabra, laevis, cinnabarina, magnitudine fructus Ribeos rubri, bilocularis, dissepimentis tenuibus oppositis.

Crescit in Indiis et America meridionali. Frutex.

9. ***Capsicum microcarpum* Dec.** C. frutescens, foliis ovatis acuminatis pubescentibus; calyce erectiusculo subpentagono piloso quinquefido, laciniis teretiusculis subulatis patentibus; fructibus ovato-subrotundis basi calyce cinctis laevibus unilocularibus.

Tab. nostr. IV.

Capsicum microcarpum, pedunculis geminatis, fructibus ovatis erectis, petiolis foliisque pubescentibus, calycibus dentes quinque subulatos patentes gerentibus. *Decand.* Cat. Hort. Monsp. p. 86. *Hornem.* Hort. reg. Havniens. II. 958.

Capsicum microcarpum, fructibus ovatis, petiolis foliisque pubescentibus. calycibus dentibus quinque subulatis patentibus. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. l. c.

Capsicum ciliare, fructibus globoso-ovatis erectis, petiolis foliisque pubescentibus, caule fruticoso. *Willd.* Enum. Hort. berolin. I. 243.

Frutex 2—3 pedalis et altior, erectus, superne ramosus, ramis angulatis striatis patentibus subpubescentibus. Folia alterna, solitaria geminave, patula, ovata, acuminata, basi lata inaequali in petiolum decurrentia, facie pubescentia, subtus pallidiora ad nervos praecipue pilosa, margine sinuolata subundulataque, ciliata. Petioli mediocres, teretiusculi, ciliato-pilosi. Pedunculi gemini ternique, tenues, striato-angulati; superne subincrassati, pilis adpressiusculis pilosi. Calyx subcyathiformis, subpentagonus, pilosus, superne subdilatatus, quinquefidus, laciniis teretiusculis subulatis patentibus pilosis, ad basin cujusvis laciniae in calycis margine denticula acutiuscula, post deflorationem evanescente, instructus. Corolla e flavescenti-albida, plano-expansa, quinquefida, maculis decem flavis viridi-punctatis in parte inferiore limbi notata, lacinulis acuminatis acutiusculis. Germen subrotundum, glabrum, laeve. Stylus erectus basi subincrassatus, pilis adpressis pilosus, stigmate obtuso medio foveolato. Bacca ovata vel ovato-subrotunda, erecta, basi calyce cincta, laevis, nitida, rubra, unilocularis, quinque-sexsperma, sarcocarpio tenui. Semina majuscula, subreniformia, subadscendentia, lateribus compressa, pallide flavida.*)

Patria...... Frutex.

10. ***Capsicum globiferum* Meyer.** C. frutescens, foliis ovatis acuminatis scabriusculis margine subciliatis; calyce erecto subintegerrimo glabro; fructibus globosis erectis,........

Capsicum pedunculis geminis, calycibus subintegerrimis, fructibus globosis erectis, caule fruticoso. *Meyer* Primit. fl. Esseq. 113. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. Add. IV. 808.

Capsicum baccatum *Rodschied.* obs. p. 38. fid. fl. Esseq.

Caules erecti, ramosi, teretes tuberculati glabri. Rami erecto-patentes vel patentes. Folia alterna, gemina aut solitaria, ovata, basi apiceque acuminata, margine integerrima subciliata, utrinque scabriuscula, juniora pubescentia. Pedunculi axillares, erecti, puberuli, fructiferi stricti et subincrassati, glabri. Calyx glaber. Corollae laciniae ovatae, acutiusculae. Antherae oblongae, obtusae, flavae. Germen subrotundum. Stylus longitudine staminum, crassiusculus. Stigma obtusum. Pericarpia (Bacca) cerasi parvi magnitudine, glabra, pallide flava, nitida. Semina reniformia, compressa, elevato-punctata, pallide fusca. *Meyer.* Maxime affine Capsico baccato *Kunth* et forsan cum eo conjungendum.

Habitat in plantationibus Essequeboensibus. ? Frutex.

11. ***Capsicum cerasiforme* Willd.** C. frutescens, foliis subovatis acuminatis glabris; calyce erecto superne subdilatato truncato subpenta-hexagono, dentibus quinque-sex

*) De Charactere generico conferas in antecedentibus observationem meam pag. .

acuminatis erectis brevibus; fructibus globosis apice foveolatis laevissimis, basi calyce amplificato cinctis, bilocularibus, dissepimentis utrinque incrassatis.

Tab. nostr. V.

Capsicum cerasiforme, caule fruticoso, pedunculis solitariis, fructibus globosis. *Willd.* En. Hort. berol. I. 242. Spec. plant. I. II. 1050 (excl. syn. *Mill.*) *Poiret.* Enc. Meth. V. 325.
Capsicum cerasiforme, fructibus globosis, petiolis glabris, caule fruticoso. *Röm.* et *Schult.* S. V. l. c. 563.
Capsicum cerasiforme *a. Besser* Cat. Hort. Krzem. l. c.
Capsicum americanum, fructu rotundo cerasorum forma. *Pluk* Alm.
Capsicum siliquis surrectis cerasiformibus. *Tournef.* instit. 153.
Capsicum indicum, 3 cerasocarpon, b. ochranthum, fructibus globosis erectis, caule erecto. *Dierb.* l. c.
Piper indicum siliquis surrectis cerasiformibus. *Bauh.* Pin. 103. *J. Raj.* Hist. pl. l. c. 678.
Siliquastrum rotundum *Camer.* Ep. *Mathiol.*
Solanum capsicum dictum perenne minus erectum. *Weinm.* Phytanthoz. IV. 349. tab. 930. lit. C.
Quiya-apua Brasiliensibus, frutu cerasi nostratis acidi magnitudine, coloris rubri. *Marggrav.*

Frutex 2—4 pedalis. Caulis erectus, subteres, glaber, superne ramosus, ramis alternis vel dichotomis patentibus, subpenta-hexagonis, glabris. Folia alterna, solitaria vel gemina, erecto-patentia, subovata, acuminata, apice obtusiusculo plerumque inflexo, e basi latiuscula in petiolum producta, glabra, margine integra vel sinuolata, facie e flavescenti atroviridia, subtus pallidiora nervisque validis percursa, 1—2½ pollicares. Petioli breves, teretiusculi, glabri, supra subsulcati, 3—7 lineas longi. Pedunculi solitarii, erecti, glabri, subpentagoni, superne incrassati, 5—6 lineas longi. Calyx cyathiformis, brevis, erectiusculus, superne subdilatatus truncatus, subpenta-hexagonus, glaber, quinque-sexdentatus, dentibus acuminatis brevibus, fructiferus demum suburceolatus, margine amplificato. Corolla sordide albida vel ochroleuca, quinque-sexfida, laciniis ovato-acuminatis plicatis. Germen subglobosum apice obtuso foveolatum, glabrum. Stylus longus, erectiusculus, stigmate crassiusculo medio foveolato. Bacca globosa, cerasiformis, erecta, brevipedunculata, basi calyce dilatato cincta, laevis, nitida, cinnabarina vel lutea, magnitudine fructus Pruni instititiae, bilocularis, dissepimentis utrinque subincrassatis. Semina numerosa, placenta centrali affixa.

Variat.:

b. Capsicum cerasiforme minus, fructu minori luteo vel rubro.

Capsicum cerasiforme *β.* fructu luteo. *Besser* Cat. H. Krzem. l. c. *Poiret.* l. c.
Quiya-apua fructu minori rubro vel etiam flavescente. *Marggrav.*

Patria America australis et India? orientalis. Frutex.

12. Capsicum Milleri R. et Schlt. C. herbaceum, foliis ovatis acuminatis integris glabris; calyce erecto pentagono glabro, dentibus quinque acuminatis obtusiusculis; fructibus ovato-subrotundis basi calyci insidentibus laevibus bilocularibus.

Capsicum Milleri, caule herbaceo, fructu rotundo glabro. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. IV. 563. (excl. *Tournef.* syn.)
Capsicum cerasiforme *Miller.* Engl. Gartb. l. c.

Caulis herbaceus humilis, ad terram quasi diffusus, ramosus, ramis patentibus glabris. Folia ovata, acuminata, integra, e basi lata in petiolum subproducta, laete viridia, in petiolis longis. Pedunculi solitarii, glabri, subangulati, calycem versus incrassati, erecti. Calyx

subcyathiformis, pentagonus, glaber, quinquedentatus, dentibus erectis acuminatis obtusiusculis. Corolla quinquefida, sordide alba, laciniis acuminatis plicatis. Germen subglobosum, laeve, apice foveolatum. Bacca ovato-subrotunda, laevissima, nitida, intense cinnabarina, bilocularis.

Crescit in nova Hispania. Planta annua.

13. Capsicum strictum Fingerh. C. herbaceum, foliis ovatis acuminatis glabris; calyce erecto subtruncato subpentagono, dentibus quinque brevibus acutis; fructibus laevissimis e basi dilatata et impressa ovatis cordiformibus calyci amplificato insidentibus, apice rotundato foveolatis bilocularibus, dissepimentis utrinque subincrassatis.

Tab. nostr. V.

Caulis herbaceus, erectus, 1—1½ pedalis et altior, pentagonus, angulis prominulis, glaber, ramosus, ramis angulatis strictis sparsis ad foliorum ramorumque angulos maculis violaceis pictus. Folia patentia, gemina, inferiora solitaria, ovata, acuminata, obtusiuscula, basi in petiolum producta, glabra, margine integra aut sinuolata, subtus pallidiora 1—2½ pollicaria. Petioli glabri, supra subsulcati, 5—14 lineas longi, superne foliorum margine producto per duarum-quatuor linearum spatium marginati. Pedunculi solitarii axillares, erecti, glabri, subsulcato-angulati, superne parum incrassati, basi violaceo-maculati. Calyx subconico-cyathiformis, subtruncatus, pentagonus, glaber, dentibus quinque acuminato-acutis instructus, fructiferus dilatato-patulus, interstitiis interdentalibus rotundato-excavatis. Corolla sordide albida, quinquefida, laciniis ovato-acuminatis plicatis. Germen ovatum, obtusum, glabrum. Stylus erectus, superne incrassatus, plerumque persistens stigmate obtuso subtrilobulato terminatus. Bacca erecta, ovata, apice rotundato-foveolata, basi impressa calyci amplificato insidens, laevissima, nitida, aurantiaca, bilocularis, dissepimentis oppositis regularibus utrinque subincrassatis.
Patria . . . . . Planta annua.

14. Capsicum grossum Willd. C. herbaceum, foliis ellipticis vel ovatis acuminatis; calyce erectiusculo pentagono glabro, dentibus quinque erectis apice incrassatis; fructibus subglobosis truncatis angulato-rugosis calyci insidentibus trilocularibus, dissepimentis placentam centralem versus subattenuatis.
Tab. nostr. V. et VI.

Capsicum grossum, caule suffrutescente fructibus incrassatis variis. *Linn.* Mant. (?) *Willd.* En. Hort. berol. I. 21. Spec. pl. I. II. 1050. (excl. syn. plurr.)
Capsicum grossum, fructibus oblongis ovatis subcompressis erectis, petiolis glabris, caule herbaceo. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. IV. p. 562. (excl. syn. plrr.)
Capsicum indicum, 2 pachycarpon, C. grossum, fructu globoso depresso maximo. *Dierb.* l. c.

Caulis herbaceus erectus, 1½—2 pedalis, plerumque ramosus, pentagonus, ad pedunculorum petiolorumque insertionem pilis sparsis adpressis instructus. Rami alterni, erecto-patentes, angulati. Folia patentia, inferiora divergentia vel pendula, elliptica vel ovata acuminata, apice obtusiuscula, integra vel sinuolata, glabra, subtus pallidiora, ad nervos subpilosa. Petioli glabri, folio breviores, facie canaliculati. Pedunculi solitarii rarius gemini, glabri, subangulati, superne incrassati calycem erectiusculum pentagonum fulcientes. Corolla albida, laciniis oblongis ovatis plicatis. Bacca magna, erectiuscula, forma varia, calyci insidens, nitida, rugosa, rubra vel flava, trilocularis, dissepimentis crassis placentam centralem versus subattenuatis.

Variat.:

a. Capsicum grossum pomiforme, fructu globoso rugoso magno rubro.

Capsicum grossum α globosum, fructu globoso-depresso erecto. *Besser* Cat. H. Krzem. 27. *Röm.* et *Schult.* S. V. l. c.
Capsicum pomiferum, caule pubescente, fructibus globosis magnis. *Mart.* En. H. Erlang. 65. fid. *R.* et *Schlt.*
Capsicum siliquis surrectis rotundis. *Tournef.* instit. 153.
Capsicum fructu rotundo majore nunc erecto nunc nutante rubro. *Miller.* Engl. Gartb. I. 169. ex parte.
Piper rotundum majus surrectum. *Greg. de Reg.* in *Clusii* cur. post. f. 51. vel piper I. *Reg.* α rotundum maximum obtusum. *J. Raj.* Hist. pl. I. 677.
Piper indicum siliquis surrectis rotundis *C. Bauh.* Pin. 103.
Quiya sive piper brasiliense *Pison.* Hist. l. c. cum fruct. ic.

b. Capsicum grossum ovatum, fructu subovato permagno ruguloso rubro vel luteo.

Capsicum grossum β. luteum, fructu ovato-conico luteo erecto aut nutante. *Besser* cat. H. Krzem. l. c. (?)
Capsicum, fructu cordiformi erecto flavo. *Miller* l. c.
Capsicum, siliquis surrectis cordiformibus. *Tournef.* l. c. 153.
Capsicum, fructu cordiformi minori luteo. *P. Brown.* Jam. 176. (form. min.)
Piper indicum rotundum majus surrectum. III. *de Reg.* in *Clusii* cur. post. l. c. η. cordatum majus *Joh. Raj.* Hist. Plant. univ. I. 677.
Piper indicum cordatum majus *C. Bauh.* Pin. 103.
Solanum mordens fructu erecto cordiformi rubro. *Weinm.* Phyt. l. c. t. 929. lit. c. et
Solanum mordens fructu erecto cordiformi luteo *Weinm.* l. c. t. 929. lit. b. (form. min.)

c. Capsicum grossum cordatum, fructu cordiformi angulato-rugoso rubro.

Capsicum siliquis surrectis cordiformibus angulatis. *Tournef.* instit. 153.
Piper cordatum minus angulosum IV. *de Reg.* in *Clus.* cur. post. l. c. ϑ. cordatum minus angulosum *J. Raj.* Hist. pl. l. c. *C. Bauh.* Pin. 103.
Solanum mordens fructu rotundo, *Weinm.* Phyt. l. c. t. 928. lit. f.

d. Capsicum grossum angulosum, fructu minori magis depresso angulato-rugoso.

Piper indicum maximum rotundum erectum. *Besl.* Hort. Eyst. Aut. O. I. fol. 11. fig.-dextr.

Patria India orientalis (Herb. Wight et Herb. Hamilt.) Planta annua.

B. Fructibus nutantibus vel pendulis.

a. Fructibus oblongis.

15. Capsicum ceratocarpum Fingerh. C. frutescens, foliis ovato-acuminatis subtus ad nervum medium subpilosis; calyce nutante truncato pentagono subverruculoso, dentibus quinque brevibus acuminatis; fructibus elongatis oblongo-conicis falcato-incurvis hinc inde inaequaliter sulcato-foveolatis basi calyce cinctis apicem versus attenuatis obtusis trilocularibus, dissepimentis tenuibus arcuato-flexis irregularibus.

Tab. nostr. VI.

Frutex 2 pedalis, erectus, ramis sparsis patentibus subpentagonis, pilis patentibus subpilosis. Folia alterna, ovato-acuminata, basi in petiolum subproducta, margine integra aut sinuolata, supra glabra

atroviridia, subtus pallidiora ad nervum medium subpilosa 1—2 pollicaria. Petioli mediocres, supra subsulcati, pilis adpressis pilosiusculi, 3—9 lineas longi. Pedunculi solitarii, angulati, glabri, recti, patentes calycem cernuum versus incrassati. Calyx subcyathiformis, truncatus, pentagonus, subverruculosus, quinquedentatus, dentibus brevibus acuminatis, fructiferus dilatatus, glaber, dentibus subscariosis. Corolla sordide alba vel subochroleuca, quinquefida, laciniis ovato-acuminatis. Germen glabrum, ovato-conicum. Stylus erectiusculus, longus, superne subincrassatus, stigmate conico-subverrucoso nutante. Bacca pendula, tripollicaris oblongo-conica, incurva, lateribus subcompressiuscula, hinc inde foveolis irregularibus instructa, apice rotundato-obtusa, basi calyce amplificato cincta, glabra, nitida, intense sanguinea, trilocularis dissepimentis tenuibus arcuato-flexis basi tantummodo completis.

Patria . . . . . Frutex.

16. Capsicum violaceum Kunth. C. frutescens, foliis ovato-oblongis acuminatis puberulis; calyce piloso-pubescente septemdentato, dentibus acutis; fructibus oblongis longissimis, basi calyce cinctis?, polyspermis, ...

Capsicum violaceum, caule suffruticoso, foliis ovato-oblongis acuminatis puberulis, floribus solitariis aut geminis cernuis, baccis oblongis. *Kunth* Synops. II. 179. et Voyage de *Humbold* et *Bonpland* sixieme Part. Tom. III. p. 39.

Aji vocato incolarum.

Suffrutex ramosissimus, ramis subdichotomis teretibus, ramulis angulatis scabriusculis, junioribus pubescentibus. Folia alterna, petiolata, solitaria (gemina), oblonga vel ovato-oblonga, acuminata, in petiolum decurrentia, integerrima, reticulato-venosa, nervo medio venisque primariis subtus prominentibus, membranacea, utrinque praesertim subtus in venis puberula, bipollicaria et longiora, 9—12 lineas lata. Petioli 4 lineas longi, canaliculati, puberuli. Flores extraaxillares, solitarii aut gemini pedunculati, cernui, magnitudine floris Boraginis officinalis. Pedunculi 7—9 lineas longi, pubescentes. Calyx urceolatus, piloso-pubescens, 7-dentatus, dentibus acutis. Corolla rotata, violacea, externe hirtella; tubo brevi, calycem aequante; fauce alba; limbo 7-fido, patente; laciniis ovatis acuminatis aequalibus. Stamina septem, summo tubo inserta. Filamenta brevia, capillacea, glabra, basi dilatata. Antherae oblongae, longitudinaliter dehiscentes; polline cinereo. Germen subglobosum. Stylus stamina superans, rectus, glaber. Stigma sublobatum. Bacca exsucca, oblonga, rubra, 3—6 pollicaris, polysperma. Kunth. (An Tzinquahuyo, fructu 5 digitos longo, colore coralli Hernand. hujus loci?)

Crescit in cultis circa urbem Quiti. Frutex. Fl. Junio.

17. Capsicum longum Decand. C. herbaceum, foliis ovatis acuminatis; calyce subcernuo truncato pentageno quinquedentato, dentibus erectis attenuatis obtusiusculis fructibus conico- vel subcylindrico-acuminatis subincurvis pendulis, basi calyce cinctis, bi-trilocularibus, dissepimentis crassiusculis endocarpium versus subincrassatis.

Tab. nostr. VI. et VII.

Capsicum longum, pedunculis solitariis, fructibus oblongo-acuminatis subincurvis pendulis, petiolis glabris, caule herbaceo. *Decand.* Cat. H. Monsp. 86. *Poiret* Enc. Meth. suppl. IV. 414.

Capsicum longum fructibus oblongo-acuminatis subincurvis, petiolis glabris, caule herbaceo. *Röm.* et *Schult.* S. V. IV. 560. *Kniph.* Bot. in Original. Stud. et op. Funkii t. 129.

Capsicum annuum. *Willd.* sp. pl. l. c. et *Röm.* et *Schult* S. V. ex part.

Capsicum annuum, pedunculis solitariis, fructibus oblongis pendulis, petiolis glabris caule herbaceo. *Willd.* En. H. berol. 241. *Meyer* Primit. Fl. Esseq. 112. (excl. syn.)
Capsicum recurvis siliquis. *Dodonaei* stirp. Hist. pempt. V. lib. IV. 704. c. icon.
Capsicum oblongius sive Siliquastrum tertium. *Fuchs.* Cap. CCLXXXI. icon. CCCCXIX.
Capsicum recurvis siliquis. *Tournef.* instit. 152.
Capsicum siliquis recurvis. *Miller* Engl. Gartb. I. 169.
Capsicum indicum, 1 macrocarpon, b. longum. Fructibus oblongo acuminatis subrecurvis. *Dierbach* l. c.
Piper oblongum recurvis siliquis *Greg. de Reg.* in *Clusii* cur. post. 101. *J. Raj.* Hist. pl. I. 678.
Piper Calecuticum seu Capsicum oblongius. *J. Bauh.* Hist. 2. 943. c. ic.
Piper indicum propendentibus siliquis oblongis recurvis. *C. Bauh.* Pin. 102.
Piper indicum maximum longum. H. Eyst. Ant. O. I. fol. 6. fig. sinistr. et
Piper indicum minus siliquis recurvis. l. c. fig. dextr. (form. min.)
Siliquastrum *H. Tragi* ex parte (una figura tres species proponit.) *Röslein* Kräuterb. Cap. CCCXLV.
Solanum urens seu Capsicum *Moris.* Sect. 13. t. 2. fig. 2. 6.
Solanum mordens siliquis oblongis recurvis. *Weinm.* Phyt. IV. 349. t. 927. lit. d.
Quiya sive Piper brasiliens. *Pison.* Hist. l. c. c. fruct. ic.

Caulis herbaceus, erectus 1—1½ pedalis, simplex vel ramosus, tetra-pentagonus, glaber, ramis alternis angulatis erecto-patentibus glabris. Folia alterna, solitaria bina aut rarius terna, 1—2½ pollices longa, ovata, acuminata, apice obtusiuscula, integra, glabra, atro-viridia. Petioli glabri, canaliculati, mediocres. Pedunculi plerumque solitarii, glabri, subangulati, calycem versus incrassati, 7—10 lineas longi, penduli vel deflexi. Calyx pentagonus, quinquedentatus, glaber, dentibus erectis attenuatis demum obtusiusculis. Corolla albida, laciniis oblongis acuminatis plicatis apice plerumque inflexis. Germen ovato-oblongum, attenuatum, laeve. Stylus apice subincrassatus. Stigma obtusum. Bacca conico- vel subcylindrico-acuminata, subincurva rectiusculave, pendula magna, 3—6 pollicaris, basi calyce dilatato cincta, nitida, laevis aut rugosa, maturitate intense cinnabarina aut flava, bilocularis, dissepimentis crassiusculis superne liberis, endocarpium versus subincrassatis. Semina numerosa, compressa, subreniformia, pallide flavida.

Variat.:

b. Capsicum longum incrassatum, fructu crassiore rectiusculo obtuso.
Siliquastrum *H. Trag.* l. c. ex part. *Tabernaemont.* Cap. CXIII. p. 529. (form. min.)
Siliquastrum sive piper indicum *Matthiol.* Cap. LXXXVII. p. 217.
Capsicum oblongioribus siliquis *Dodonaei* H. stirp. pempt. V. 704.
Capsicum piper indicum longioribus siliquis. *Lob.* Plant. s. Stirp. hist. 172. (fid. ic.)
Capsicum siliquis longis propendentibus. *Tournef.* instit. 153. *Bapt. Morandi* Hist. bot. pharmac. p. 107. t. 152. ic. 7. tab. LIII. *Mill.* Engl. Gartb. l. c.
Capsicum seu piper indicum *Monard.* in *Clusii* exot. Cap. LIV. 340.
Capsicum majus vulgatius oblongis siliquis. *Park.* theatr. 356.
Capsicum longioribus siliquis. *Ger.* 392.
Capsicum annuum *Hayne* Arzneyg. et *Guimpel* et *de Schlechtend.* Abbild. nud Beschreib. etc. Heft III. t. 16. (excl. var. plrr.)
Piperitis seu Siliquastrum *Valer Cord.* H. stirp. ex part.
Piper americanum vulgarius *Clus.* in cur. post. 53.
Piper indicum sive Calecuticum sive piper Siliquastrum, *J. Bauh.* Hist. l. c.
Piper indicum vulgatissimum *C. Bauh.* Pin. l. c.
Piper calecuticum *Fuchs* l. c. ic. CCCCXVIII.
Piper indicum medium *Bessl.* H. Eyst. O. I. fol. 7.
Solanum mordens fructu propendente oblongo crasso obtuso *Plukn.* Alm. bot.
Solanum mordens fructu propendente oblongo crasso. *Weinm.* l. c. t. 927 lit. c.

c. Capsicum longum latum, fructu oblongo obtuso luteo.

Solanum mordens fructu aureo lato. *Weinm.* l. c. t. 928. lit. b.
Piper indicum aureum latum. *Bessl.* H. Eyst. l. c. fol. 9. II.

d. Capsicum longum rectum, fructu oblongo minore recto ochraceo.

Piper siliqua flava. *Greg. de Reg.* in *Clus.* cur. post. l. c. *J. Raj.* Hist. pl. l. c. 678.
Piper indicum siliquis flavis, *H. Eyst.* l. c. fol. 9. I.
Solanum mordens siliquis flavis, *Weinm.* l. c. t. 928. lit. c. (Cfr. etiam *Clus.* Schol. ad *Monard.* in exotic. Cap. LIV.)

Cresit in Indiis et America meridionali. Planta annua.

18. Capsicum pendulum Willd. C. fructescens, foliis ovato-oblongis acuminatis glabriusculis; calyce subnutante subpenta vel hexagono superne subdilatato truncato, quinque-sexdentato, dentibus erectis obtusiusculis; fructibus oblongis utrinque subattenuatis obtusis basi calyce cinctis bilocularibus, dissepimentis tenuibus irregularibus.
Tab. nostr. VII.

Capsicum pendulum, fructibus oblongis, petiolis pubescentibus, caule fruticoso. *Willd.* En. Hort. berol. I. 242. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. IV. 562.
Capsicum grossum β. *Schult.* obs. n. 299.?
Capsicum indicum, 4. elaeocarpon, a. pendulum, fructibus oblongis pendulis. *Dierb.* l. c.

Frutex 2—4 pedalis, erectus, ramis subpentagonis divaricatis vel patulis glabris ad petiolorum insertionem interdum violaceis. Folia alterna, patentia, ovato-oblonga, acuminata, apice acutiusculo inflexo, e basi lata in petiolum subproducta, 1—2½ pollicaria, margine integra vel subsinuolata, facie glabra, subtus pallidiora atque ad nervos praecipue ad eorum angulos pubescentia. Petioli mediocres, 6—9 lineas longi, puberuli rarius glabri. Pedunculi solitarii vel gemini, glabri, subangulati, 7—8 lineas longi, basi violacei, superne incrassati atque cum calyce subnutante recti, subpatentes. Calyx subconico-cyathiformis, superne subdilatatus, truncatus, subpenta-hexagonus, glaber, quinque-sexdentatus, dentibus erectis obtusiusculis. Corolla sordide albida, 5—6 fida, laciniis ovatis acutis, facie punctis flavidis serie longitudinali duplici positis, notatis. Germen glabrum, oblongo-ovatum. Stylus tenuis, longiusculus superne subincrassatus cum stigmate obtusiusculo subcernuus. Bacca oblonga, utrinque subattenuata, apice rotundata, basi calyce cincta, laevis vel rugosa, nitida ½—1 pollicaris intense rubra, cum calyce nutante pendula, bi-rarius trilocularis, dissepimentis tenuibus irregularibus.

Variat.:

b. Capsicum pendulum minus, fructu oblongo semipollicari.

Capsicum Havanense, caule fruticoso dichotomo divaricato, foliis ovato-oblongis glabris, pedunculis solitariis, fructiferis reflexis, baccis oblongis. *Kunth.* synops. II. 178. et Voyag. *de Humb.* et *Bonpl.* sixieme Part. III. 39.

Frutex, ramis dichotomis divaricatis laeviter striatis glabris teretibus, ramulis angulatis. Folia alterna, petiolata, solitaria, ovato-oblonga vel oblonga, acutiuscula, basi rotundata in petiolum decurrentia, integerrima, reticulato-venosa, membranacea, glabra, 12—14 lineas longa, dimidium pollicem lata. Petioli subsemipollicares, canaliculati, glabriusculi. Flores axillares, solitarii, pedunculati, magnitudine ac structurae prorsus sequentis (Caps. baccati Kunth.).

Pedunculi semipollicares, glabri, fructiferi 8—9 lineas longi, recti, subreflexi. Baccae oblongae, rubrae, semipollicares, basi calyce persistente cinctae. Kunth.

c. Capsicum pendulum torulosum, fructibus oblongis acuminatis compressis, superficie sinuosis et tuberculis puntulisque notatis splendentibus.

Capsicum rubrum minus. *Rumph.* Herb. Amboin. t. 88. fig. 1.

Crescit . . . . ? b. in maritimis arenosis prope Havannam (Insulae Cubae). c. in Amboina. Frutex.

19. Capsicum luteum Lam. C. frutescens, foliis ellipticis vel oblongo-ovatis acuminatis; calyce nutante subtruncato subpentagono pilosiusculo, dentibus ciliatis erectiusculis demum cum calycis margine dilatato reflexis; fructibus ovato-ellipticis foveolato-rugosis pendulis basi calyce cinctis trilocularibus, dissepimentis irregularibus arcuato-flexis placentam versus subincrassatis.

Tab. nostr. VIII.

Capsicum luteum, caule frutescente flexuoso, ramulis petiolisque hirsutis, fructibus ovatis trilocularibus. *Lam* Illstr. n. 2392. *Röm.* et *Schlt.* S. Veg. IV. 563.

Capsicum indicum, 1. macrocarpon, d. luteum, fructibus oblongis flavis, caule frutescente hirsuto flexuoso. *Dierb.* l. c.

Solanum mordens seu Capsicum fructu flavescente, *Weinm.* Phytanthoz. IV. 349. t. 930. lit. a.

Frutex 1—2 pedalis, ramosus, ramis flexuosis subtetragonis striatis pubescentibus erecto-patentibus vel patentibus. Folia gemina aut terna, elliptica vel oblongo-ovata, acuminata, in petiolum subproducta, ½—2 pollicaria, integra vel margine subsinuolata, ciliata atque in nervis utrinque puberula. Petioli breves, 3—4 lineares, teretiusculi, pubescentes. Pedunculi longi, tenues, striato-angulati, solitarii, gemini ternique, superne subincrassati, glabri vel subpubescentes, 7—10 lineares, fructiferi patentissimi vel arcuato-deflexi. Calyx conico-cyathiformis, subtruncatus, penta-hexagonus, glabriusculus, quinque-sexdentatus, dentibus tenuibus acutis erectis ciliatis, fructiferus amplificatus cum dentibus reflexus. Corolla parva, albida, quinque-sexfida, laciniis lanceolato-ovatis plicatis margine involutis. Germen ovatum, glabrum. Stylus longus, superne subincrassatus, stigmate irregulari. Bacca ovato-elliptica utrinque attenuata, pendula, 9—12 linearis, rugoso-foveolata et quasi verruculis parvis sparsis obsita, apice obtusiuscula, basi calyce dilatato cincta, nitida, intense aurantiaca, trilocularis, dissepimentis irregularibus arcuato-flexis placentam versus subincrassatis. Semina subreniformia pallida, superne dissepimentis modo insidentia.

Patria India orientalis. Frutex.

20. Capsicum sinense Jacq. C. frutescens, foliis ovatis acuminatis subrepandis subtus ad nervos puberulis; calyce subnutante truncato superne subdilatato hexagono glabro, dentibus brevibus demum subevanescentibus; fructibus subovato-oblongis apice obtusiusculis pendulis basi calyce erectiusculo cinctis bi-trilocularibus, dissepimentis irregularibus arcuato-flexis placentam versus attenuatis.

Tab. nostr. VIII.

Capsicum sinense, caule floribus fructibusque pendulis. *Murr.* Syst. 226. *Jacq.* Hort. Vind. III. t. 67.

Capsicum sinense, caule fruticoso, pedunculis geminatis, fructibus ovatis pendulis, foliorum petiolis subpubescentibus. *Linn.* Sp. pl. Edit. *Willd.* I. II. 1051. Ejusd. En. Hort. berol. I. 242. *Lam.* Illustr. n. 2394. *Poiret.* Enc. Meth. V. 327.

Capsicum sinense, fructibus ovatis pendulis, petiolis pubescentibus, caule frutescente. *Röm.* et *Schlt.* S. V. IV. 564.

Fruticulus 1—1½ pedalis, ramosus, ramis subflexuoso-patentibus angulatis plerumque maculis violaceis pictis subpubescentibus. Folia alterna, patentia, solitaria vel gemina, ovata, acuminata, subrepanda, basi in petiolum producta, apice obtusiuscula, 1—2½ pollices longa, supra glabra, subtus pallidiora atque ad nervos puberula. Petioli tenues, subpubescentes, 5—6 lineas longi. Pedunculi gemini, terni rarius solitarii, subangulato-striati, graciles, superne incrassati, 5—8 lineas longi, glabriusculi, cum calyce nutante patentissimi. Calyx conico-cyathiformis, superne subdilatatus, truncatus, hexagonus, subpubescens vel glaber, sex-vel quinquedentatus, dentibus brevibus demum subevanescentibus. Corolla parva, sordide alba, sex-rarius quinquefida, laciniis lanceolatis acuminatis obtusis subplicatis apice interdum inflexis. Germen conicum, subrotundo-truncatum, glabrum. Stylus gracilis, superne subincrassatus stigmate crassiusculo. Bacca subovato-oblonga, apice obtusiuscula, plerumque stylo persistente mucronata, basi calyce amplificato cincta, pendula, nitida, flavo-aurantiaca, bi-trilocularis, dissepimentis irregularibus arcuato-flexis placentam versus attenuatis superne liberis. Semina compressa, subreniformia, pallida, superne dissepimentis insidentia.

Patria Sina. Frutex.

21. Capsicum angulosum Miller. C. herbaceum, foliis oblongo-ovatis glabris; calyce nutante vel pendulo subtruncato pentagono, dentibus quinque brevibus patulis obtusiusculis; fructibus oblongis vel ovatis rugosis sulcato-angulatis tumidis, apice retuso bi-trifidis, basi subdilatata calyci insidentibus, pendulis trilocularibus, dissepimentis placentam versus incrassatis. Tab. nostr. VIII.

Capsicum angulosum, caule herbaceo, fructu (oblongo) cordiformi anguloso. *Röm.* et *Schlt.* S. Veg. l. c. 561.
Capsicum fructu maximo oblongo rugoso plerumque nutante rubro. *Miller.* Engl. Gartb. I. 169.
Capsicum fructu longo ventre tumido, per summum tetragono. *Tournef.* inst. 152.
Capsicum Tournefortii, fructu pendulo maximo difformi obtuso angulato subcompresso plerumque apice retuso bifido. *Besser.* Cat. H. Krzem. l. c.
Capsicum indicum, 1. macrocarpon, c. tetragonum, fructu maximo obtuso ventre tumido superne tetragono. *Dierb.* l. c.
Piper 11 siliqua bifurcata *Greg. de Reg.* in *Clusii* cur. post. l. c.
Piper bifurcata siliqua. S. 3. Class. III. *Joh. Raj.* H. pl. l. c

Caulis e radice fibrosa, erectus, herbaceus, ramosus, pedalis et altior, tetra-pentagonus, glaber, ramis erecto-patentibus vel patentibus glabris ad petiolorum pedunculorumque insertionem violaceis. Folia alterna patentia, oblongo-ovata, basi attenuata in petiolum producta, utrinque glabra, supra atro-viridia, subtus pallidiora nervis validis, margine integra vel subsinuolata, 1½—3 pollicaria, inferiora uti in omnibus herbaceis majora longiusque petiolata, ramea minora magis attenuata. Petioli longi, glabri, basi incrassati, subcanaliculati, superne ad medium usque foliorum margine producto instructi. Pedunculi solitarii, axillares, glabri, angulati, calycem versus incrassati, fructiferi arcuato-propendentes vel penduli. Calyx subcyathiformis, pentagonus, glaber, superne subdilatatus, quinquedentatus, dentibus brevibus obtusiusculis erecto-patulis, fructiferus maxime dilatatus, expansus. Corolla sordide alba, quinquefida, laciniis ovatis acuminatis plicatis. Germen ovato-obtusum apice foveolatum, subsulcatum, glabrum. Stylus erectus, apice incrassatus, stigmate obtuso terminatus. Bacca oblonga vel ovata 1—2 pollicaris, obtusa, tumida, rugosa, sulcato-angulata, angulis rotundatis flexis apicem versus decurrentibus, apice retuso bi-

trifida, nitida, intense coccinea, calyci amplificato insidens, pendula, trilocularis, dissepimentis carnosis placentam versus incrassatis. Semina numerosa, albido-straminea, subreniformia, lateribus compressa, tam placentae quam dissepimentis affixa.

Variat:

b. Capsicum angulosum conicum, fructu oblongo-conico pendulo anguloso rubro.

Capsicum africanum, fructu pyramidali pendulo rugosissimo. *Miller.* Engl. Gartb. l. c.

c. Capsicum angulosum ovale, fructu oblongo subrodtundo pendulo rugoso-angulato rubro.

Patria . . . . ? Planta annua.

b. Fructibus subrotundis.

22. ***Capsicum ovatum Decand.*** C. frutescens, foliis subovato-lanceolatis acuminatis glabris; calyce nutante truncato pentagono glabro quinquedentato, dentibus brevibus obtusiusculis; fructibus ovatis basi calyce subcinctis subbilocularibus, dissepimentis utrinque subincrassatis.

Tab. nostr. IX.

Capsicum ovatum, pedicellis solitariis, fructibus ovatis pendulis, petiolis foliisque glabris, caule fruticoso. *Decand.* Cat. Hort. Monsp. p. 86.

Capsicum ovatum, fructibus ovatis acuminatis, petiolis foliisque glabris, caule fruticoso. *Röm.* et *Schlt.* S. Veg. IV. 561.

Capsicum indicum, 3. cerasocarpon, d. ovatum, fructibus ovatis pendulis. *Dierbach* l. c.

Frutex mediocris, erectus, ramis erecto-patentibus angulatis glabris. Folia alterna, subovato-lanceolata, acuminata, glabra, basi in petiolum pruducta, integra vel sinuolata, 1—2 pollicaria. Petioli longi, teretiusculi glabri, canaliculati. Pedunculi solitarii, subangulato-teretiusculi, superne incrassati, fructiferi inflexi. Calyx subcyathiformis superne subdilatatus, truncatus, pentagonus, glaber, quinquedentatus, dentibus brevibus obtusiusculis. Corolla albida, quinquefida, laciniis ovato-acuminatis planiusculis. Germen subgloboso-ovatum, glabrum. Bacca ovata, basi calyce subcincta, pendula, laevis, mitida, coccinea, subbilocularis, dissepimentis utrinque subincrassatis.

Crescit . . . . ? Frutex.

23. ***Capsicum sphaericum, Willd.*** C. frutescens, foliis oblongo-lanceolatis vel oblongo-ovatis acuminatis glabris; calyce nutante truncato pentagono glabro quinque-sexdentato dentibus acuminatis erectis; fructibus globosis pendulis apice subfoveolatis basi calyce subcinctis subtrilocularibus, dissepimentis placentam versus incrassatis.

Tab. nostr. IX.

Capsicum sphaericum, fructibus globosis (pendulis), petiolis glabris, caule fruticoso. *Willd.* En. H. berol. I. 241. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. IV. 241.

Capsicum indicum, 3. cerasocarpon, c. sphaericum, fructibus globosis pendulis. *Dierb.* l. c.

Frutex mediocris erectus, ramis dichotomis angulatis glabris. Folia alterna, solitaria vel et praecipue in ramis gemina, oblongo-ovata, acuminata vel oblongo-lanceolata, glabra, margine integra. Petioli longiusculi, glabri. Pedunculi solitarii, deflexi, glabri, superne incrassati.

Calyx dentibus quinque aut sex acuminatis erectis, glaber, penta-hexagonus, brevis. Corolla albida vel ochroleuca, laciniis acuminatis plicatis. Bacca globosa, pendula, basi calyce cincta, apice foveolata, laevis, nitida, cerasi magnitudine ac colore, bi-trilocularis, dissepimentis placentam versus incrassatis. (Capsico cerasiformi affine, fructus tantum directione et dissepimentorum structura distinctum.)

Patria . . . . ? Frutex.

24. *Capsicum cordiforme, Miller.* C. herbaceum, foliis ovatis vel oblongis acuminatis repandis glabris; calyce nutante superne subdilatato subtruncato penta-hexagono verruculoso, dentibus brevibus superne subincrassatis obtusis; fructibus ovato-cordiformibus basi impressa calyci amplificato insidentibus trilocularibus, dissepimentis placentam versus incrassatis.

Tab. nostr. IX. et X.

Capsicum cordiforme, caule herbaceo, fructu cordiformi. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. l. c. 561.
Capsicum fructu cordiformi plerumque nutante rubro. *Miller.* Engl. Gartb. I. 169.
Capsicum siliqua latiore et rotundiore. *Tournef.* instit. 152. *J. Bauh.* Hist. 2. 943.
Capsicum siliqua propendente rotunda et cordiformi. *Tournef.* l. c. 153.
Capsicum cordatum *J. Camerar.*
Capsicum latum, breiter indianischer Pfeffer. *Fuchs.* Cap. CCLXXXI. ic. CCCCXX.
Capsicum latis siliquis, *Dodonaei* stirp. hist. pemt. V. lib. IV. Cap. XXVI. p. 704. *Tabernaem.* II. Cap. CXXXVII; p. 530. c. ic.
Capsicum fructu maximo cordiformi biloculari rubro. *P. Brown.* Jam. p. 176.
Piper cordatum *J. Raj.* l. c.
Piper indicum propendentibus siliquis rotundis. *C. Bauh.* Pin. 102.
Piper indicum cordatum. *Bessl.* H. Eyst. l. c. fol. 13. fig. sinistr.
Siliquastrum frutu propendente. rotundo, *de Reg.* in *Clusii* cur. post. l. c.
Siliquastrum latis siliquis. *H. Trag.* l. c.
Siliquastrum quartum. *Fuchs.* Hist. 734.

Caulis herbaceus, erectus, 1—2 pedalis, subpentagonus, glaber, ramis alternis pentagonis patentibus. Folia alterna, solitaria geminaque, ovata, oblonga, acuminata, apice interdum inflexo, basi lata in petiolum producta, glabra, margine sinuolata, supra atro-viridia, subtus pallidiora nervis crassis virescentibus instructa. Petioli longi, glabri, superne ad medium usque foliorum mangine tenui producto marginati, 6—14 lineares. Pedunculi solitarii, subsulcato-angulati, glabri, superne incrassati, basi plerumque violacei, arcuato-penduli, fructiferi laeviusculi, penduli. Calyx cyathiformis penta-hexagonus, subverruculosus, superue subdilatatus, quinque-sexdentatus, dentibus brevibus obtusis superne incrassatis, fructiferus magis dilatatus margine submembranaceo dentibusque subacuminatis. Corolla ochroleuca vel sordide albida, plerumque sexfida, laciniis ovatis subacuminatis plicatis apice inflexis. Germen ovoideum, apice rotundatum, glabrum. Stylus erectus superne incrassatus, stigmate obtuso. Bacca ovato-subrotunda, cordiformis, pendula, basi lata impressa calyci amplificato insidens, apice rotundata, nitida, sulculis interdum tenuibus evanescentibus, tot, quot calycis dentes apicem tendentibus instructa, intense coccinea vel flava, tri-rarius bilocularis, dissepimentis placentam versus incrassatis.

Variat.:

b. Capsicum cordiforme subangulosum, fructu cordato magno subtetragono pendulo rubro.

c. Capsicum cordiforme majus, fructu cordato oblongo majori pendulo flavo aut rubro, stylo persistente plerumque terminato.

Capsicum fructu aculeato majori et Capsicum siliqua propendente oblonga et cordiformi. *Tournef.* instit. 153.
Piper indicum cordatum oblongum. *Bessl.* H. Eyst. l. c. fol. 13. fig. dextr.
Piper indicum fructu aculeato majus. *C. Bauh.* Pin. 102.
Piper indicum propendentibus siliquis rotundis, diff. 2. siliqua cordata eaque oblonga. *C. Bauh.* l. c.
Siliquastrum vel piper III. *de Reg.* l. c.
Quiya sive piper Brasiliense, *Pison.* Hist. l. c. c. ic.

d. Capsicum cordiforme minus, fructu subgloboso-cordiformi minori rubro, stylo persistente interdum apiculato.

Piper indicum rotundum aculeatum. *Bessl.* H. Eyst. l. c. fol. 12. fig. dextr.
Piper indicum fructu aculeato minori. *C. Bauh.* Pin. 102.
Capsicum fructu aculeato minori. *Tournef.* instit. 153.
Quiya sive piper Brasiliense. *Pison.* Hist. l. c. c. ic. fruct.

e. Capsicum cordiforme olivaeforme, fructu mediocri olivaeformi flavo aut rubro pendulo.

Capsicum siliqua olivaeforma. *Tonrnef.* l. c.
Piper cum siliqua olivari, *de Reg.* in *Clus.* cur. post. 52. *J. Raj.* Hist. pl. I. 677.
Piper indicum propendentibus siliquis rotundis, differ. 3. siliqua olivaria. *C. Bauh.* l. c.

f. Capsicum cordiforme globosum, fructu subgloboso pendulo flavo.

Capsicum siliqua propendente cerasiforma. *Tournef.* instit. 153.
Piper siliqua rotunda vel Piper VII. *de Reg.* in *Clus.* cur. post. l. c.
Piper indicum propendentibus siliquis rotundis, differ. 4. siliqua rotunda cerasorum modo. *C. Bauh.* Pin 102.
Piper siliqua rotunda cerasorum modo. *Joh. Raj.* I. 677.
Piper indicum orbiculatum medium *Bessl.* Hort. Eyst. l. c. fol. 12. fig. dextr. et Piper indicum siliquis rotundis. *H. Eyst.* l. c. fol. 10.

Crescit in Indiis et America meridionali. Planta annua.

25. ***Capsicum tetragonum, Miller.*** C. herbaceum, foliis ovatis acuminatis glabris; calyce nutante superne subdilatato truncato, penta-hexagono subverruculoso, dentibus brevibus superne incrassatis patulis; fructibus subglobosis depressis subtetragonis, angulis obtusis rotundatis a basi dilatata calyci insidente apicem subquadrifidum foveolatumque versus decurrentibus trilocularibus, dissepimentis placentam versus attenuatis.
Tab. nostr. X.

Capsicum tetragonum, caule herbaceo, fructu maximo anguloso obtuso. *Röm.* et *Schult.* S. Veg. l. c. 561.
Capsicum latifolium, mali aethiopici fructu magno compresso striato. *Miller* Engl. Gartb. I. 169.
Capsicum fructu rotundo maximo. *Tournef.* instit. 153.
?Capsicum indicum, 2. pachycarpon, a. angulosum, fructu cordiformi anguloso. *Dierb.* l. c.
Piper indicum siliqua lata rugosa. *Greg de. Reg.* in *Clus.* cur. post. l. c.
Piper cum siliqua lata rugosa sive 4. II. Class. *J. Raj.* H. pl. l. c. 677.
Piper indicum rotundum maximum. *Bessl.* H. Eyst. Aut. O. I. fol. 10. fig. dextr.

Piper indicum, fructu dependente pomi amoris forma et **Piper** indicum propendentibus siliquis rotundis, diff. 1. siliqua lata rugosa. *C. Bauh.* Pin. 102.
Solanum mordens seu piper indicum maximum. *Weinm.* Phyt. IV. p. 249. t. 928. lit. d.

Caulis herbaceus, erectus, 1—1½ pedalis et altior, glaber, pentagonus, ramosus, ramis patentibus alternis tetra-vel pentagonis glabris. Folia alterna, patentia, solitaria geminaque, ovata, acuminata, apice obtusiuscula, basi in petiolum producta, integerrima, glabra, 1—3 pollicaria, supra atro-viridia, subtus pallidiora nervo medio crassiusculo. Petioli longi, glabri, subcanaliculati, 6—14 lineares, superne infra medium usque foliorum margine producto submarginati. Pedunculi solitarii, 5—7 lineas longi, angulato-subsulcati, calycem versus subincrassati, superne cum calyce subverruculoso-scabri, patentes vel cernui. Calyx cyathiformis superne subdilatatus, subtruncatus, penta-hexagonus subverruculosus, dentibus abtusis apice subincrassatis patulis, fructiferus dilatato-expansus, dentibus magis attenuatis tenuibus. Corolla sordide albida, quinque-sexfida, majuscula, laciniis ovatis plicatis. Germen glabrum, laeve seu subsulcatum. Bacca pendula vel nutans, subglobosa, depressa, magna, inflata, subtetragona, angulis rotundatis obtusis a basi magis dilatata apicem subquadrifidum foveolatumque tendentibus, nitida, intense coccinea, trilocularis, dissepimentis placentam versus attenuatis. Semina numerosa, subrotundo-reniformia, compressa, placentae centrali dissepimentisque affixa.

Crescit in Indiis et America meridionali. Planta annua.

Species ulterius examinandae.

1. ***Piper indicum,*** caule piloso, flore majore. *Bauh.* Pin. 103. *J. Raj.* Hist. pl. l. c. ***Piper*** indicum caule pilis albis praedito. *Camerar.*

2. ***Capsicum*** fructu non acri rugoso longo pendente rubro. *Miller* Engl. Gartb. I. 169.

3. ***Capsicum*** americanum latifolium, fructu oblongo erecto candido. *Miller* En. Gartb. l. c.

4. ***Capsicum quittense (Hb. Willd.)*** pedunculis solitariis, fructibus subglobosis cernuis, venis foliorum subtus ramulisque ferrugineo-tomentosis. *Röm.* et *Schlt.* S. Veg. Add. IV. 809.

   Patria Quito. Frutex.

5. ***Capsicum aggregatum. (Hb. Willd.)*** pedunculis aggregatis foliisque pubescentibus, subtus incano-tomentosis. *Röm.* et *Schlt.* l. c.

   Patria . . . . . ? Frutex.

6. ***Capsicum coerulascens. (Besser)*** Cat. H. Krzem. p. 27. fructus difformis obtuse angulatus, retusus, demum aurantiacus. (Affine videtur Caps. pyramidali *(Miller)*.

7. ***Capsicum toxicarium, Pöppig.*** fruticosum, ramulis pubescentibus, foliis ovatis acutis basi rotundatis nervo subtus villoso-barbato, pedunculis solitariis unifloris fructiferis deflexis, baccis cylindricis obtuse tetragonis torulosis acutis.

Suffrutex 2 — 3 pedalis, floribus viridulis, baccis atris pollicaribus. Dr. *Pöppig* Naturhistorische Berichte aus Peru. Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde von *v. Froriep.* Band XXXII. S. 28.

Obs, Secundum Cll. *Pöppig* incolae harum regionum fructibus hujus Capsici Speciei cum aliis quoque vegetabilibus commixtis ad praparandum quoddam venenum, quo dagittas imbuunt, utuntur, huic relationi si observationes Cll. a *Martii* (Reise in Brasilien Band II. S. 497) adnumeremus, principium narcotico-venenum in fructibus quarundam Americae indigenarum hujus generis specierum haud negare possumus. Ea quae itaque in antecedentibus de principio narcotico afferebantur, eo mutandum esse mihi persuasum venenam quidem materiam in quibusdam Capsici Speciebus adesse posse, attamen ea tantum sub conditione qua plantam soli influxu natalis aliisque rationibus convenientibus subjectam fuisse, nam analysis chemica fructuum cultarum Capsici generis specierum nullum indicium, ex quo, pincipium illud narcoticum adesse, concludi licuit, praebebat.

Index
Auctorum et Librorum
in
hac monographia adductorum.

1506. Carolus Clusius Exoticorum libros decem scripsit. etc. Antwerp.
1541. Conradi Gesneri historia plantarum et vires etc. Venetiis.
1543. New Kreutterbuch etc., durch den hochgelerten Leonhard Fuchsen, der Artzney Doctorem etc. Gedruckt zu Basell.
1560. Carolus Clusius Dodonaei historiam vernacula lingua conscriptam, gallicam fecit et corollarium de aromatibus addidit etc. Antwerp.
1561. Valerii Cordi historia stirpium libri III. posthumi, nunc primum in lucem editi adjectis etiam stirpium iconibus et brevissimis adnotatiunculis etc. Argentorati.
1563. New Kreuterbuch, von dem hochgelerten und weitberühmten Herrn Doctor Petro Andrea Matthiolo etc. Gedruckt zu Prag.
1569. Kreuterbuch, künstliche Conterfeiungen der Bäume, Stauden, Hecken, Kreuter etc. durch weyland Doctorem Eucharium Röslin. Frankf. am M.
1574. Carolus Clusius Nicolai Monardis de medicamentis Indiae occidentalis ex Hispanico transtulit, etc.
1576. Plantarum seu stirpium historia Mathiae de Lobel Insulani, cui adnexum est Adversariorum Volumen Antverpiae.
1582. Carolus Clusius Christophori Acostae historiam Indiae etc. ex Hispanico latinam fecit et Scholiis illustravit.
— Garsiae ab Horto proregis Indiae medici de aromatibus et simplicibus medicamentis apud Indos nascentibus historia conscripta in epitomen contracta et latine facta.
1583. Remberti Dodonaei stirpium Historiae pemtades sex sive libri XXX. Antverpiae.
— Andreae Caesalpini de plantis libri XVI. Florent.
1585. Castoris Durantis Medici Romani herbarium novum cum figuris etc. Romae.
1586. Joachim Camerarii de plantis epitome P. Andr. Matthioli. Francof. ad Moen.
1587. Jacobi Dalechampii historia generalis plantarum, opus posthumum. Lugd. Vol. I. — II.
1588. Joachim Camerarii hortus medicus philosophicus. Francof. ad Moen.
1591. D. Jacobi Theodori Tabernaemontani new volkommentlich Kreuterbuch durch Nicolaum Braun Medicinae Doctorem Frankf. am M.
1599. J. Hugonis Linscoti itinerarium ac navigatio in orientalem sive Lusitanorum Indiam cum Bernhardi Paludani annotat. Hagae.
1610. Joh. Fragosus Hispaniarum regis Medicus, aromatum, fructuum et simplicium aliquot ex utraque India in Europam delatorum historiam scripsit, a Spachio Medico Argent. edit.
1611. Joachim Camerarii, Kräuterbuch, Frankf.


1611. Caroli Clusii curae posteriores post mortem editae et libello Gregorii de Regio capuccini de pipere indico s. Capsico addito. Antverp.
1613. Basilii Bessleri Hortus Eystettensis. Norimb.
1625. Exactissima descriptio rariorum quarundam plantarum, quae continentur Romae in horto Farnesiano, Tobia Aldino Cesenate auctore etc. Romae.
— New volkommen Kreuterbuch mit schönen künstlichen und leblichen Figuren und Conterfeyten aller Gewächs, der Bäume, Stauden und Kreutern, so in teutschen und welschen Landen auch in Hispanien Ost- und Westindien oder in der neuen Welt wachsen etc. durch Jacobum Theodorum Tabernae: montanum der Arzney Doctorem etc. ietz wiederumb mit vielen schoenen und newen Figuren auch nützlichen Arzneyen mit sonderem Fleifs vermehrt durch Casparum Bauhinum Doctorem und der Universitet zu Basel Professorem. Frankf. am Main.
1630. Kräuterbuch weyland des weitberhümten und hocherfharnen Herrn Hieronimi Tragi genannt Bock mit Vleifs übersehen etc. gemheret und gebessert durch Melchorem Sebizium der Arzney Doctorem und Professorem auch der Statt Strafsburg bestelltem Physicum. Stafsburg.
1648. G. Pisonis de medicina Brasiliensi et Georgi Marggravi historiae rerum naturalium Brasiliae. Lugd. Bat.
1651. Francisci Hernandez novo plantarum animalium et mineralium Mexicanarum historia. Romae.
1658. Guil. Pisonis de Indiae utriusque re naturali et medica XIV. libr. Amstelod.
1661. Johanni Bauhini Historia plantarum. Genev. III. Vol.
1666. Stirpium icones et Sciagraphia cum scriptorum circa eas consensu et dissensu, Auctore Dominico Chabraeo Medicinae Doctore. Genevae.
1671. Caspari Bauhini Pinax theatri botanici. Basiliae.
1676. Heinrich van Rheede tot Drakestein Hortus malabaricus indicus. Amstelod. I—XII. Vol.
1686. Historia plantarum species hactenus editas aliasque insuper multas noviter inventas et descriptas complectens etc. Auctore Joanne Rajo. Lond. I—III. Vol.
1696. Leonhardi Plukenetii Almagestum botanicum. Lond.
1710. H. Boerhaave Index plantarum horti Lugdunensis. Lugd. Bat.
1712. Hans Sloane Esq. a voyage to Madeira, Barbados, Nieves. St. Christophers and Jamaica with de natural history. Lond.
1715. R. Morison Plantarum historia universalis seu herbarum distributio nova. Oxon. I—II. Vol.
1719. J. Pitton Tournefort institutiones rei herbariae. Par. I—III. Vol.
1737. Hortus Cliffortianus plantas exhibens quas in hortis tam vivis quam siccis Hartecampi in Hollandia coluit vir nobilissimus et generossimus Georgius Clifford. Auctore Carolo Linnaeo. Amstelod.
1743. Georgii Everhardi Rumphii Herbarium Amboinense etc. cura et studio Johannis Burmanni. Amstel. Hagae comitis et Ultrajecti. I—IV. Vol.
1745. Phytanthozoiconographia oder eigentliche Vorstellung etlicher Tausend sowohl einheimisch- als ausländischer, aus allen vier Welt-Theilen im Verlauf vieler Jahre etc. von Johann Wilhelm Weinmann etc. gesammelter Pflanzen, Bäume, Stauden, Kräuter, Blumen und Früchte etc. beschrieben von D. Ambrosio Carolo Bieler, reipuplicae Ratisbonensis Physico ord. Regensb. I—VIII. Vol.
1750. Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum, id est Elisabethae Blackwell collectio stirpium quae in pharmacopoliis ad medicum usum asservantur etc. ex anglico idiomate in latinum convers. etc. cum praefatione D. Christophori Jac. Trew. Norimb.
1750. Das englische Gartenbuch oder Philipp Millers Gärtner-Lexicon etc. in das Deutsche übersetzt von D. Georg Leonh. Huth. Nürnb. I—II. Vol.
1756. P. Brown civil and natural history of Jamaica. Lond.
— G. Henrici Kramer Elenchus Vegetabilium et animalium per Austriam inferiorem observatorum etc. Viennae, Pragae et Tergesti.
1757. D. Jo. Hieronimi Kniphofii botanica in originali seu herbarium vivum etc. opera et studio Joannis Godofredi Trampe. Halae.
1758. J. Burmann Thesaurus Zeylanicus exhibens plantas Zeylanae. Lugd. Bat.
1761. Historia batanico-pharmaceutica stirpium etc. opus Equitis Joan. Bapt. Morandi. Mediolani.
1762. Caroli Linnaei species plantarum. Holmiae. I—II. Vol.
1765. Caroli Linnaei genera plantarum, Editio novissima. Viennae.
— Caroli Linnaei Syitema Naturae Edit. XIII. Vindebon. I—III. Vol.
1767. Caroli Linnaei Mantissa plantarum. Holmiae.

1768. N. L. Burmanni flora indica cui accedit series Zoophytorum indicorum nec non prodromus Capensis florae. Lugd. Batav.
1770. N. J. Jacquin Hortus botanicus vindebonensis. Vindeb. I—III. Vol.
1772. Caroli Linnaei Materia medica curante J. Chr. D. Schrebero. Lips. et Erlangae.
1782. P. Sonnerat. voyage aux Indes orientales et a la Chine. Paris I—II. Vol.
1784. Caroli Linnaei systema Vegetabilium. Edit. XIV. curante Murrajo. Gött.
1785. La Marck Encyclopédie Méthodique Botanique. Paris.
1788. Josephus Gärtnerus de fructibus et seminibus plantarum. Stuttgardt. I—II. Vol.
1789. Caroli Linnaei genera plantarum curante Schrebero. Francf. ad. M. I—II. Vol.
— Hortus Kewensis or a Catalogue of the plants cultivated in the royal Botanik Garden at Kew by William Aiton. Lond. I—III. Vol.
1797. Caroli Linnaei species plantarum Edit. Willdenow. Berol. I—X. Vol.
1804. Continuation du Dictionnaire de Botanique de l'Encyclopédie Méthodique du Chevalièr de la Marck par Poiret. Paris.
1805. C. H. Persoon Synopsis plantarum seu enchiridium botanicum. Tubing. I—II. Vol.
— Fr. G. Heyne getreue Darstellung und Beschreibung der in der Arzneykunde gebräuchlichen Gewächse. Berlin.
1809. C. L. Willdenow Enumeratio plantarum horti regii botanici berolinensis. Berol. I—II. Vol.
— A. L. de Jussieu genera plantarum secundum ordines naturales disposita. Parisiis.
1811. W. S. J. G. Besser Catalogus Horti Krzemieniec. —
1813. A. P. De Candolle Catalogus Horti Monspeliensis. —
— J. W. Hornemann Hortus regius havniensis. Havniae. Pars. I.
1816. Caroli Linnaei Systema Vegetabilium Edit. XVI. aucta et locupleta, incepta a J. J. Römer continuata a Jos. Ant. Schultes. Stuttg. I—VI. Vol.
1817. C. Sprengels Geschichte der Botanik neu bearbeitet. Altenb. und Leipz. I—II. Vol.
1818. G. F. W. Meyer Primitiae florae Essequeboensis adjectis descriptionibus centum circiter stirpium novarum. Götting.
1819. J. H. Dierbach Handbuch der medizinisch-pharmazeutischen Botanik, oder systematische Beschreibung sämmtlicher officinellen Gewächse. Heidelb.
1820. Fxposition des Familles naturelles et de la Germination des Plantes, par Jaume-Saint-Hilaire Paris. I—VI. Vol.
1822. Plantae officinales oder Sammlung officineller Pflanzen mit lithographirten Abbildungen von A. Henry und Beschreibungen von M. F. Weyhe, Dr. J. W. Wolter und P. W. Funke, fortgesetzt von Th. Fr. L. Nees von Esenbeck. Düsseldorf. —
1822. C. S. Kunth synopsis plantarum quas in itinere per plagam aequinoctialem orbis novi collegerunt Alex. de Humboldt et Am. Bonpland etc. Paris. I—III. Vol. et Voyage de Humboldt et Bonpland sixieme Partie Botanique. Tom. III. Paris.
1824. A. Richard's medizinische Botanik aus dem Französischen von G. Kunze und G. F. Kummer. Berlin. I—II. Vol.
— Caroli Linnaei systema Vegetabilium Edit. XVI. curante C. Sprengel. Götting. I—IV. Vol.
1829. J. H. Dierbach im Archiv des Apothekervereins B. XXX. Hft. I.
1830. Abbildungen und Beschreibungen aller in der Pharmacopoea borussica aufgeführten Gewächse, herausgegeben von Fr. Guimpel und Dr. Fr. L. de Schlechtendal. Berlin. Hft. III.
1832. Nees et Ebermaier Handbuch der med.-pharmazeutischen Botanik. Düsseldorf.


Explicatio tabularum.

Tab. I. 1. corolla cum calyce.
2. eadem calyce denudata ut filamentorum insertio melius perspiciatur.
3. filamentum cum anthera a facie interiore visa (magnitud. auct.)
4. idem a facie exteriore, (magnit. auct.)
5. idem post foecundationem a latere visum (magnitud. auct.)
6. calyx cum germine et stylo.
7. idem magnitudine auctus.
8. germen langitudinaliter dissectum. (magnitud. auct.)
9. fructus longitudinaliter sectus.
10. semen naturali magnitudine.
11. idem dissectum cum embryone.
12. idem magitudine auctum.

Tab. IV. fig. b. 1. filamentum cum anthera a facie exteriore.
2. a facie interiore.
3. anthera foecundatione peracta.
4. Calyx cum germine et stylo.
5. fructus e transverso sectus.



Genus Capsicum L.



Tab. II.

a. Capsicum annuum Lin.
b. — — rugosulum.
c. — — acuminatum.
d. — — subangulosum.
e. Caps. annuum ovoideum.
f. — — abbreviatum.
g. — — olivaeforme.



a. Capsicum bicolor Jacq.
b. —— conoides Mill.
c. —— —— sulcatum.
d. Caps. conoides chordale.
e. — pyramidale Mill.

Tab. IV.



a. Capsicum baccatum Lin.
b. —— microcarpum Dec.
c. —— frutescens Lin.

Tab. V.




a. Capsicum strictum nob.
b. — cerasiforme Will.

c. Caps. grossum W. pomiforme.
d. — — ovatum.



a. Capsicum annuum Lin.
b. — — rugosulum.
c. — — acuminatum.
d. — — subangulosum.

e. Caps. annuum ovoideum.
f. — — abbreviatum.
g. — — olivaeforme.



a. Capsicum bicolor Jacq.
b. —— conoides Mill.
c. —— —— sulcatum.

d. Caps. conoides chordale.
e. — pyramidale Mill.

Tab. IV.




a. Capsicum baccatum Lin.
b. — microcarpum Dec.
c. — frutescens Lin.

Tab. V.



a. Capsicum strictum nob.
b. — cerasiforme Will.

c. Caps. grossum W. pomiforme.
d. — — ovatum.




a. Capsicum grossum cordatum.
b. — — angulosum.

c. Caps. ceratocarpum nob.
d. — longum Dec.



a. Capsicum longum incrassatum.
b. — — luteum.
c. Caps. longum rectum.
d. — pendulum W.




a. Capsicum angulosum M.
b. — — ovale.

c. Caps. luteum Lam.
d. — sinense Jacq.



a. Capsicum sphaericum W.
b. — ovatum Dec.
c. — cordiforme M.

d. Caps. cordiforme subangulosum.
e. — — majus.



a. Capsicum cordiforme minus.
b. — — olivaeforme.

c. Caps. cordiforme globosum.
d. tetragonum M.

